MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80170-1

AUTHOR: HAMPEL, ERWIN

TITLE: DE APOSTROPHAE APUD ROMANORUM

PLACE: JENAE

DATE: 1908

Master Negative #

91-80170-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Hampel, Erwin 1886-
De apostrophae apvd Romanorvm poetas vsv Dissertatio ... qvam scripsit ... Erwinvs Hampel ...
Ienae, typis G. Nevenhahn, 1908.
53 p. 23½ cm.


Thesis. Jena.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-9-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202


















SIGILLVM · COLLEGII · COLVMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN

no. 1

DE APOSTROPHAE APVD ROMANORVM POETAS VSV

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

ERWINVS HAMPEL

COSTRINIENSIS



IENAE

TYPIS G. NEVENHAHNI

MCMVIII

E

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 18. Januar 1908.

Geh. Hofrat Prof. Dr. Winkelmann,
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS CARISSVMIS

SACRVM

PRAEFATIO.

Quamquam de genere dicendi sive elocutione poetarum Romanorum, de rhetorico carminum ornamento, de tropis ac figuris tractaverunt permulti viri docti, in multis tamen quaestionibus hodie quoque licet dicere idem, quod legitur apud Frankium in praefatione commentationis anno 1895 editae[1]) quae est de Sili Italici Punicorum figuris: „illa res minime satis explanata est". Idem de apostropha poetarum Romanorum valere, ad cuius certam quandam speciem hanc disputationem pertinere volui, vix est quod moneam. Qua in re me non *peragraturum esse avia Pieridum loca nullius ante trita solo,* ut illo Lucreti (IV 1 sq.) utar, non ignoro; sed primum quidem quaecumque de figura prolata inveni, valde dispersa sunt in commentariis vel disputatiunculis, quas postea occasione data afferam; tum vero praecipue illud dolendum esse video, quod viri docti semper paucis quibusdam exemplis inniti satis habuerunt. Quin tamen hoc modo de figurae universa ratione atque vi agi non possit, nemini dubium erit. Priusquam autem ad usum figurae tractandum ipsum accedamus, quam vim apostrophae vocabulo subesse velimus quaerendum erit. Itaque disputationem meam ita instituam, ut primum de apostrophae notione agam, quot species figurae extent, quomodo eae inter se differant, de qua specie accuratius tractare mihi in animo sit; his vero absolutis omnia huius speciei exempla, quae inveniuntur apud Vergilium et Ovidium idoneo ordine colligam, collectis demonstrem, qua ratione permoti poetae hanc figuram adhibuisse videantur; denique ex hoc funda-

1) Cf. 'Festschrift der 43. Vers. deutscher Philol. u. Schul.' (Bonn 1895) p. 21 sqq.

mento profectus quaeram, quo modo reliquorum poetarum Romanorum clarissimi, praecipue dactylicorum, eandem figuram usurpaverint, qua in re non semel Graeca exempla ad illustrandum usum Romanorum adhibebo.

CAPUT I.

§ 1. Ex rhetorum Graecorum et Romanorum profecti praeceptis multi viri docti in libris ad artem rhetoricam spectantibus scripserunt de provincia et definitione eius figurae quam tractabimus. Qui tamen haec scripta maiore cum diligentia percensuerit, cognoscet rem ipsam de qua agitur minime pervenisse ad eam claritatem, quae optanda est. Quod enim pertinet ad Ernestii lexicon technologiae Graecorum et Latinorum rhetoricae (Lips. 1795—1797), assentior eis, quae profert Monse[1]), *illum librum hodie non sufficere; nec enim veterum loci tractando plane exhausti sunt aut allati omnes.* Diligentius scripsit de apostropha Gerardus Vossius in libro qui inscribitur commentariorum rhetoricorum sive oratoriarum institutionum libri sex[2]); diversae tamen species figurae ibi confunduntur inter se, unde magna perturbatio fit. Similiter res se habet in Gerberi libro notissimo (Die Sprache als Kunst. Berl. 1885; cf. I 513, II 272 sqq). Volkmannus vero in libro qui est de arte rhetorica Graecorum et Romanorum (Lips. a. 1885[3]) haudquaquam omni ex parte recte dicit de apostropha, quippe qui eam speciem figurae, in qua haec dissertatio praecipue versabitur, omnino silentio praeterierit. Monse[4]) et Straubius[5]) quamquam multo diligentiores fuerunt in figura describenda, tamen quae huc spectant, ne ipsi quidem exsecuti sunt omnia; accedit, quod Monse revocat nos ad Dzialae dissertationem, quae est de antiquorum rhetorum de figuris doctrina (progr. gymnas. Magdal.

1) Veterum Rhetorum de sententiarum figuris doctrina. Pars prior (diss. phil. ed. Vratislaviae 1869) praef. p. 3.
2) Cf. V p. 363 sqq.
3) Cf. p. 143; 500.
4) L. s. s. p. 20 sqq.
5) De tropis et figuris, quae inveniuntur in orationibus Demosthenis et Ciceronis (diss. phil. Wirzeburgi 1883) p. 88 sqq.

1869[1]); hanc vero erroribus non carere postea cognosces. In illa Frankii commentatione quam supra attuli legis[2]): *παρένθεσις vocatur apostropha, cum poeta narratione interrupta ipse personam quae agit vel legentes alloquitur.* Unde hanc definitionem hauserit vir doctus non addit; veteres certe aliter intellexisse παρένθεσιν inter omnes constat[3]). Quae cum ita sint, non veremur ne rem actam agamus, si a praeceptis veterum exorsi totam hanc quaestionem de integro tractare conabimur.

§ 2. Aptissime mea quidem sententia proficiscemur ab eo, qui provinciam apostrophae me quidem iudice optime circumscripsit, a Quintiliano. Is enim l. IX 2, 38—39, postquam dixit de nonnullis figuris sententiarum: *aversus quoque,* inquit, *a iudice sermo, qui dicitur ἀποστροφή, mire movet, sive adversarios invadimus: quid enim tuus ille, Tubero, in acie Pharsalia?*[4]) *sive ad invocationem aliquam convertimur: 'uos enim iam ego, Albani tumuli atque luci'*[5]); *sive ad invidiosam implorationem: 'o leges Porciae legesque Semproniae!'*[6]) *sed illa quoque vocatur aversio, quae a proposita quaestione abducit audientem: Non ego cum Danais Troianam excindere gentem Aulide iuravi —*[7]). *quod fit et multis et variis figuris, cum aut aliud exspectasse nos aut maius aliquid timuisse simulamus aut plus videri posse ignorantibus, quale est prooemium pro Caelio.*

Nomen igitur figurae cuius vis in nomine ipso posita est aversio. Unde vero atque quo avertitur? A iudice ad personam aliquam aut rem, ut definitio et exempla Quintilianea docent. Atque quo modo fit talis aversio? Quintilianus attulit primum tria genera exemplorum, quae inter se cohaerent ita, ut persona vel res, in quam sermo avertitur, per apostropham compelletur, *sive enim adversarios invadimus, sive ad invocationem aliquam convertimur sive ad invidiosam implorationem.* Idem quod hic rhetor illis paucis verbis dixit reliqui rhetores Graecorum et Romanorum ex parte verbosius circumscripserunt. Sic enim legimus apud

1) Cf. p. 26 sq.
2) Vide p. 35.
3) De hac figura cf. Quintil. IX 23; Volkmann. l. s. s. p. 437 sq.
4) Cf. Cic. pro Lig. 3.
5) Cf. Cic. pro Mil. 31.
6) Cf. Cic. Verr. V 63.
7) Cf. Aen. IV 425 sq.

Tiber. (cf. Spengel. rhet. Graec. vol. III p. 61 sq.): Ἀποστροφὴ δέ ἐστιν, ὅταν ἀπὸ τῶν δικαστῶν πρὸς τὸν ἀντίδικον ἀποστρέφῃ τὸν λόγον, οἷον „μηδὲν οὖν φιλονείκει, Λεπτίνη", καὶ πάλιν, „οὓς ἅπαντας ἡ πόλις ὁμοίως τῆς αὐτῆς ἀξιώσασα τιμῆς ἔθαψεν Αἰσχίνη". κινήσας γὰρ τῇ δόξῃ τῶν παραδειγμάτων τοὺς ἀκούοντας, τότε καὶ τὸν ἀντίδικον κέκληκε. Similia habemus apud Aquil. Roman. (Halm, Rhetores lat. min. p. 25): Ἀποστροφή, *aversio, necessaria plerumque figura, ubi quae ad alios dicta volumus, ad alios dicere videmur. Sic plerumque convertimus orationem in reum ab iudice, cum illa tamen, quibus adversarium alloquimur, iudici allegentur. Acutissimum exemplum in Philippicis Demosthenis, ubi quibus verbis populum Atheniensium monitum vult, ea se dicit apud Argivos et Arcadas et Messenios contionatum*[1]). *Invidiose et M. Tullius cum saepe alias, tum pro Roscio convertit orationem ad Chrysogonum ab illo loco: rogat oratque te, Chrysogone, et cetera.*

Ex his verbis discimus fictionem vel figurandi vim, ut Straubii verbis utar, in eo consistere, quod oratio, quamquam averti videtur, tamen in eos intenditur, quorum docendorum vel commovendorum causa habetur. Similiter Martianus Capella exempla non addens: ἀποστροφή, inquit, *est in aliquem districta conversio, frequens apud Ciceronem ac nobilis figura. Hoc est, cum in aliquem sic convertimus actionem, ut ex ea iudices doceamus* (cf. apud Halmium p. 478). Sine dubio hic asserendus est Phoebammonis locus, qui invenitur apud Spengel. III p. 49 sq.: ἀποστροφὴ δὲ προσώπου ἐστὶ μετάβασις λόγου πρὸς πρόσωπον, ᾧ πρότερον οὐ διαλεγόμεθα, ὡς ἵνα δικαζόμενος καὶ πρὸς τὸν ἄρχοντα λέγων τὸ πρᾶγμα στραφῶ πρὸς τὸν ἀντίδικον καὶ ἐρωτήσω, οὐκ ἀληθῆ ταῦτα ἃ λέγω; Dzialae sententiam, qui putat[2]) Phoebammonem hic circumscripsisse apostrophae speciem, de qua postea tractabimus[3]), minime probare possum. Altero loco, qui legitur apud Spengel. III p. 54, Phoebammon figuram eisdem fere verbis definit addens autem exemplum, ubi eis verbis, quae ad magistrum diriguntur, oblique eius discipuli castigantur. Ad idem spectat Alex. quoque, qui (apud Spengel. III p. 23 sqq.): ἀπο-

1) Dem. VI 20: *Πῶς γὰρ οἴεσθ', ἔφην, ὦ ἄνδρες Μεσσήνιοι, δυσχερῶς ἀκούειν Ὀλυνθίους, εἴ τίς τι λέγοι κατὰ Φιλίππου κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους, ὅτ' Ἀνθεμοῦντα μὲν αὐτοῖς ἠφίει ....*

2) Cf. l. s. s. p. 26.

3) Cf. p. 10 sqq. huius dissertationis.

στροφὴ δ' ἔστιν, inquit, ὅταν πρόσωπον ἕτερον ἀνθ' ἑτέρου αἰτιώμεθα, ἤτοι πραΰνειν, ἢ ἐποτρύνειν ἐθέλοντες, ὡς ὁ ποιητής·

Ἀτρείδη νυν δή σε ἄναξ ἐθέλουσιν Ἀχαιοὶ
πᾶσιν ἐλέγχιστον θέμεναι μερόπεσσι βροτοῖσιν.
οὐδέ τι ἐκτελέουσιν ὑπόσχεσιν, ἥνπερ ὑπέσταν[1]).

ἐπεὶ γὰρ ἀπότομον ἦν λέγειν, ὦ Ἀχαιοί, ἄδικοί ἐστε, πρὸς τὸν βασιλέα οὐκ ἐθέλοντες ἐκτελεῖν αὐτῷ τὰς ὑποσχέσεις, μετεσχημάτισε τὸν λόγον πρὸς αὐτὸν τὸν Ἀγαμέμνονα. Recte monet Monse (l. s. s. p. 21) Herodiano videri Alexandri notam fuisse definitionem et exempla, cum eadem ratione describat figuram eodemque utatur exemplo (cf. apud Spengel. III p. 26). Summo iure rhetores, quos postremo dixi, addentes illud Homeri exemplum egressi sunt e finibus sermonis forensis; cum enim inter omnes constet rationem elocutionis ornandae per primos rhetores a poetis repetitam esse[2]), apparet apostrophae quoque vim ampliorem fuisse neque in causis tantum fori eam adhibitam esse. Atque si poetas ab hac parte percensemus, permagnum numerum talium apostropharum invenimus. Huc cadunt omnes illae invocationes deorum et musarum velut Verg. Aen. I 7: *Musa, mihi causas memora ...*; convertitur enim sermo aut potius narratio a iudice, h. e. ab eo, ad quem sermo habetur, hic igitur ab eis, qui narrationem poetae audiunt vel legunt, ad invocationem musae. Deinde afferendi sunt loci, ubi praecepta quaedam vel hortationes ad personam aliquam sive rem cum aversione diriguntur velut Ovid. Fast. II 557: *Dum tamen haec fient, viduae cessate puellae!* aut Ex Pont. II 2, 61: *Lingua, sile!* aut Catull. XXVII 5 (cf. ed. quam fecit Baehrens): *At vos, quo lubet hinc abite, lymphae, Vini pernicies, et ad severos Migrate!* Non obliviscar porro talium exemplorum, quae continent exclamationem, scilicet in quantum habent aversionem. *Nam* ut recte monet Monse (cf. l. s. s. p. 44), *exclamando non necessario quis compellatur, sed hanc quoque exclamationem habeo: o quantopere mutantur tempora! ubi nec aversio a iudice, nec omnino compellare aliquem contendi potest oratorem.* Verte autem quaeso oculos mecum ad versum, quem legis Fast. Ovid. I 87: *Salve, laeta dies, ...* aut Tibull. III 4, 61: *A, crudele*

1) Cf. Il. II 284 sqq.

2) Conferatur Buchholdus, de paromoeoseos (adlitterationis) apud veteres Romanorum poetas usu (diss. phil. Lips. 1883) praef. p. 5 sq.

genus nec fidum femina nomen. Hae exclamationes sunt apostrophae; sermo enim, ut illis Quintilianeis utar, *convertitur ad invocationem aliquam et invidiosam implorationem.* — *Sed illa quoque vocatur aversio,* sic legimus illo Quintiliani loco, *quae a proposita quaestione abducit audientem.* Qua cum apostropha non coniunctum est, quod persona aliqua vel res compellatur. Huc cadit sine dubio, quod Alex. loco, quem supra cognovimus (Spengel. III p. 23 sq.) addit haec: *γίνεται δὲ ἡ ἀποστροφὴ καὶ ὅταν ἄλλων μνημονεύοντες ὡς δυναμένων ταὐτὰ ποιῆσαι τούτοις, περὶ ὧν ἂν ποιησώμεθα τὸν λόγον, μὴ πεποιηκότων δέ, εἶτα δι' αὐτῶν καὶ καθαπτώμεθα τῶν ἀντιδίκων, ὡς Δημοσθένης τὰ ὑπὸ Μειδίου γεγονότα βουλόμενος διαβάλλειν διαβάλλει τὰ περὶ Ἰφικράτην, „καίτοι φασὶν Ἰφικράτην ποτὲ ἐκεῖνον Διοκλεῖ τῷ Πιτθεῖ τὰ μάλιστα ἐλθεῖν εἰς ἔχθραν, καὶ ἔτι πρὸς τούτῳ συμβῆναι, Τισίαν τὸν ἀδελφὸν τὸν Ἰφικράτους ἀντιχορηγῆσαι τῷ Διοκλεῖ· ἀλλ' ὅμως πολλοὺς ἔχων Ἰφικράτης“ καὶ τὰ ἑξῆς, „οὐκ ἐβάδιζεν ἐπὶ τὰς τῶν χρυσοχόων οἰκίας νύκτωρ, οὐδὲ κατερρήγνυ τὰ κατεσκευασμένα ἱμάτια ἐς τὴν ἑορτὴν“ καὶ τὰ ἑξῆς.* Hic porro afferendus est Longinus, qui hoc esse exemplum apostrophae dicit: *οὐκ ἔστιν, ὅπως ἡμάρτετε, μὰ τοὺς [ἐν] Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας* (cf. Spengel. I p. 267).

Priusquam huius paragraphi finem facio, ne quos omittam locos quibus mentio fit figurae, affero anonymum quendam (cf. Spengel. III 123; 178) et Zonaeum (Spengel. III 163); cum vero definitiones eorum amplissimis in finibus versentur, exempla eorum partim corrupta sint, partim nihil praebeant, quod a praeceptis reliquorum rhetorum ante allatis discedat, de his nihil addendum esse mihi videtur.

§ 3. Intendamus igitur animos ad alterum locum Quintiliani, ubi item verba fiunt de apostropha; IX 3, 23 enim, rhetor, postquam egit de figuris quibusdam grammaticis, addit: *illa quoque ex eodem genere possunt videri,* atque primum affert *interpositionem vel interclusionem, quod Graeci παρένθεσιν, παρέμπτωσιν vocant,* tum vero: *alterum,* inquit, *quod est eius figurae sententiarum, quae ἀποστροφὴ dicitur, simile, sed non sensum mutat verum formam eloquendi:*

Decios, Marios magnosque Camillos,
Scipiadas duros bello et te, maxime Caesar.

Acutius adhuc in Polydoro:

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat et auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Hoc qui tam parva momenta nominibus discreverunt μετάβασιν vocant, quam et aliter fieri putant: quid loquor? aut ubi sum? coniunxit autem παρένθεσιν et ἀποστροφὴν Vergilius illo loco:

Haud procul inde citae Mettum in diversa quadrigae
Distulerunt, (at tu dictis, Albane, maneres!)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus.

Similia sunt haec exempla sine dubio apostropharum, quas priore paragrapho cognovimus, et illarum quidem, ubi cum figura coniunctum erat, quod personae vel res compellabantur; etenim hic quoque invocantur aliqua persona vel res per aversionem. Tamen, qui haec et illa exempla maiore diligentia curaque comparaverit, cognoscet magnum discrimen inter ea extare. Illic enim efficiebatur vel quidem simulabatur per apostropham colloquium, die Form dramatischer Unterhaltung, ut Nitzschius in commentatione, quae est: Die Apostrophe in Ilias und Odyssee (cf. Philolog. XVI p. 151) dixit; illae apostrophae spectabantur in sententiis (vox sententiae hic idem significat quod Germanice verbo „Satz“ exprimere solemus), unde rectissime a rhetoribus in numero figurarum quas vocamus sententiarum ponebantur. Aliter res se habet in apostrophis, quas hac paragrapho cognovimus. Sententia per figuram hic non mutatur, colloquium non efficitur, sed narratio continuatur; haec aversio fit in medio narrationis tenore per enallagen casus vel personae inexspectatam, quae habet etiam, ut Quintiliani verbis utar (IX 3, 27), *similitudinem vitii,* quia tamquam peccatur in ordinem rectum atque institutum verborum. Hae apostrophae spectantur igitur in singulis verbis, qua de causa inter figuras quae vocantur verborum ponendae sint. Atqui nemo nescit figuras verborum esse duorum generum, rhetorici et grammatici. Species apostrophae autem, quam modo tractamus, secundum Quintilianum est inter figuras grammaticas, quae *sensum non mutant, verum tantum formam eloquendi.*

Praeter Quintilianum alii quoque rhetores de hac specie, quam modo cognovimus, verba fecerunt; sic enim Herodianus

(apud Spengel. III p. 88): *Ἡ δὲ τῶν προσώπων μετάβασις,* inquit, *ποιεῖ τὴν καλουμένην ἀποστροφήν, οἷον*

τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφης Πατρόκλεις ἱππεῦ·[1])

καί,

ἔνθα κέ τοι Μενέλαε φάνη βιοτοῖο τελευτή[2]).

Apud Iul. Rufinianum (Halm. p. 54) legis: *Μετάστασις est vel μετάβασις, cum a loquentis persona ad personam aliam transitum facimus, ratione aliqua vel adfectu, ut:*

Non haec Euandro de te promissa parenti
Discedens dederam:

Deinde:

Et nunc ille quidem spe multum captus inani
Fors et vota facit . . .

Deinde:

Infelix, funus nati crudele videbis.
Hi nostri reditus exspectatique triumphi?
Haec mea magna fides? At non, Euandre, pudendis
Vulneribus pulsum aspicies.

Haec figura dicitur variatio aut transitus. — Ἀποστροφή est, cum sermo a recto et instituto ordine in diversum ac contrarium vertitur, ut:

Scipiadas duros bello et te, maxime Caesar.

Et: impulerit ferro . . . .

Latine conversio dicitur. Inter metastasin et apostrophen hoc interest, quod metastasis personarum multiplicata variatio est et ab alia ad aliam, deinde rursus ad aliam et deinceps gradatione transitur: at in apostrophe commutatio est personae fere unius. Rufinianus vocat igitur speciem quandam huius apostrophae *μετάβασιν*. Rutilius Lupus videtur omnino hanc apostropham nominasse *μετάβασιν*, cum dicit: *Unum genus μεταβάσεως est [eius modi], cum ab ea sententia, quam proposuimus, convertimus ad aliquam personam aut rem et tamquam praesentem appellamus.* Recte mea quidem sententia Dzialas dicit[3]) Quintilianum ad haec omnia respicientem illud addidisse: *hoc, qui tam parva momenta nominibus discreverunt, μετάβασιν vocant.* Atqui constat reliquos rhetores aliam habuisse

1) Vid. Il. 16, 20.
2) Vid. Il. 7, 104.
3) L. s. s. p. 26.

μετάστασιν vel *μετάβασιν*, nempe eam, quae fit, cum culpam alicuius rei a nobis in alium conferimus[1]); itaque nominabimus una cum Quintiliano hanc quoque aversionem, quam modo cognovimus, summo iure apostropham. Quod recte fieri confirmatur eo, quod commentatores antiqui exempla, quae huius generis sunt, eodem nomine 'apostropha' significant (cf. Dindorfii scholia Graeca in Homeri Iliadem, Tom. III ad *Δ* 127; 146; *H* 104; Tom. IV ad *Π* 693; 787; *Y* 2; Thilo-Hagen: Servii commentar.: ad Aeneid. II 56; V 123; ad Georg. I 215). Servius addit saepius: *haec est apostropha vel προσφώνησις* (cf. ad Aen. IV 408; X 139; 302; 791; XI 7); cum vero reliqui rhetores *προσφώνησιν* aliter explicent[2]), hoc quoque nomen reiciendum est.

Inter definitiones modo allatas summi momenti mihi videtur esse Rufiniani, qui figuram oriri *ratione aliqua vel adfectu* addit. Quem si sequimur, apostropha non est ponenda inter figuras grammaticas, sed inter illud *acrius genus, quod non tantum in ratione positum est loquendi sed ipsis sensibus cum gratiam tum etiam vires accommodat*[3]), quod significatur rhetoricum. Haec controversia, quae est inter Quintilianum et Rufinianum quo modo potest diiudicari? — Videamus primum quidem, quid alii viri docti de hac re iudicaverint. In scholiis codicis Veneti (B) in Iliadem scriptis legimus ad versum *Π* 787 additum[4]): *Πάτροκλε] ἡ ἀποστροφὴ σημαίνει τὸν συναχθόμενον. σοὶ γάρ, φησίν, ὦ Πάτροκλε, τῷ οὕτως ὑπ' Ἀχιλλέως ἀγαπωμένῳ τῷ τὸ πᾶν εἰς σωτηρίαν τῶν Ἑλλήνων πραγματευσαμένῳ τῷ Νέστορος φιλοπόνως ἀνασχομένῳ, τῷ φιλοστόργως Εὐρύπυλον ἰασαμένῳ, τῷ ὑπὲρ Ἑλλήνων δακρύσαντι, τῷ τὸν σκληρῶς διακείμενον Ἀχιλλέα πείσαντι, τῷ κατὰ τῆς σεαυτοῦ ψυχῆς τὴν ἔξοδον κατορθώσαντι, βίου τέλος ὤφθη. ταῦτα πάντα ἔνεστιν ἐπαναφέροντας ἐπὶ τὴν ἀποστροφὴν τὸ ἐν αὐτῇ περιπαθὲς σκοπεῖν.* Commotus igitur sorte Partrocli videtur poeta incidisse in maerorem luctumque atque interposuit versibus hos affectus eo, quod aversionem in hunc virum fecit; sic, h. e. ex affectu, explicat commentator figuram et reliquis locis, quibus ille verba facit de apostropha

1) De hac re vide quae dixit Monse l. s. s. p. 22.
2) Cf. Volkmann. l. s. s. p. 346.
3) Cf. Quintil. IX 3, 28.
4) Cf. Dindorf. Tom. IV.

(locos supra p. 13 enumeravi), similem interpretationem invenies. Eustathius in commentario ad Odysseam et Iliadem scripto annotat Odysseae versui qui est ξ 55: *Ὅτι ἐν Ἰλιάδι μὲν Ὅμηρος πολλαῖς χρῆται ἀποστροφαῖς ἐπὶ πρόσωπον ἀξίων λόγου, οἷον· οὐδὲ σέθεν Μενέλαε θεοὶ ἐλάθοντο, καί, τὸν δὲ προσέφης Πατρόκλεις ἱππεῦ, καὶ ἕτερα δὲ ὅμοια· ἐν δὲ τῇ Ὀδυσσείᾳ ἐπὶ μόνου Εὐμαίου σχηματίζει οὕτως ὁ ποιητής, φιλῶν τῆς εὐνοίας τὸν δοῦλον καὶ τοῦ εἰς πολλὰ χρησιμεύειν ἐνταῦθα τῇ ποιήσει;* simili modo dicit ille locis, qui sunt Iliad. *Δ* 127 et *O* 365, ita ut secundum huius quoque explicationes haec apostropha in numero figurarum rhetoricarum verborum ponenda sit. — Atqui inveniuntur, qui censeant figuram non semper ita explicari posse, quod quidam loci non sint eius modi, ut poeta ex affectu in figuram coactus esset. Sic enim Liesegangius[1]) et Nitzschius[2]) metricam rationem in talibus apostrophis iudicandis respiciendam esse putabant; secuti sunt illos Ameis-Hentzius addentes in commentario ad Homeri Odysseam scripto[3]) versui, qui est ξ 55: aus allen diesen Beispielen erhellt, dass an die Stelle des gemütlichen Grundes, wie er bei Eumaios und Patroklos in Wahrheit besteht und schon von den Scholiasten zu *Π* 787 hervorgehoben wird, zugleich auch das Bedürfnis des Verses getreten ist. Haud raro ab aliis quoque viris doctis similiter iudicatum est de quibusdam locis, ubi illa apostrophae species extat; confer Koene, Ueber die Sprache der römischen Epiker (Münster 1836) p. 31, 47, 119, 206; Keller, Grammatische Aufsätze (Lips. 1895) p. 198 sqq.; Bednara, de sermone dactylicorum Latinorum quaestiones. Catullus et Ovidius quibus rationibus linguam metro accommodaverint (Archiv für lat. Lexikographie und Grammatik Bd. XIX Fasc. 3 et 4) p. 568. — Nordenus in commentario ad Aeneidos librum sextum scripto explicat nonnullas talium apostropharum partim ex interiore partim ex mere metrica vel formali ratione (confer, quod addidit versibus 18 et 30). — Weidnerus in commentario ad Aeneidos libros primum et secundum scripto verba facit de apostropha, quae legitur Aen. II 56, quam non dubitat ab affectu poetae repetere.

---

1) Philolog. VI p. 563: Zwei Eigentümlichkeiten des 16. u. 17. Buches der Jlias.

2) Cf. l. s. s.

3) Anhang zu Homers Odyssee, Schulausgabe v. Ameis, neu besorgt von Hentze, Leipzig 1895.

Quae autem est, quaeso, vera huius speciei apostrophae natura? Omnes intellegent id quod in huius dissertationis praefatione dixi, ex nonnullis selectis exemplis de illa re, de universo figurae usu iudicari non posse. Itaque, ut in hanc rem altius penetremus, optimum puto perscrutari carmina duorum poetarum, quorum usus figurae et frequentissimus et maxime conspicuus est, Ovidi et Vergili, atque ex his omnia vel certe plurima exempla colligere. Sic enim facilius demonstrari poterit, qua ratione permoti illi poetae hanc apostrophae speciem adhibuerint.

CAPUT II.

A.

§ 4. Notabiles exstant versus qui sunt Aen. IV 408 sqq.[1]):

Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus,
Quosve dabas gemitus, cum litora fervere late
Prospiceres arce ec summa totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus aequor!

His enim in versibus figura, de qua tractabimus, optime cernitur; in medio narrationis tenore per enallagen casus (pro dativo legitur vocativus) convertitur sermo ad Didonem. Qua de causa autem poeta creavit hanc formam dicendi? Agitur de sorte Didonis, infelicis mulieris, quae summo amore incensa amatorem discessurum videt. Hac in misera condicione Didonis autem sine dubio causa apostrophae est posita. Quem non capiat misericordia, qui audit de tanta sollicitudine, de tam acerbo dolore. Vergilius quoque in his rebus adversis narrandis incidit in illum affectum; ex quo commotus vertit se poeta in Didonem atque interponit sic versibus suum affectum. Ei autem, qui hos versus legunt vel audiunt, per inexspectatam enallagen casus diutius accuratiusque animos ad illam personam advertere coguntur, simili modo excitantur, eodem affectu afficiuntur atque poeta. Ut paucis comprehendam: illam apostropham ex affectu poetae profluxisse apparet; atque figura adscita est feliciter et pulcherrime, cum ei qui versus legunt vel audiunt simul excitentur. Sic videtur iam

---

1) In afferendis locis usitavi has editiones: P. Vergili Maronis opera. Rec. O. Ribbeck, Ed. II (Lips. Teubn.); Ovidius Naso. Rec. R. Merkel, Ed. II cur. R. Ehwald (Lips. Teubn.).

Servius iudicasse annotans illi versui: *totum hoc magna prosphonesi*[1]) *dictum est: plus enim est in re, quam in verbis: quamvis enim totum dictum non sit, tamen et cogitatur et capitur ab auditore: haec est enim magna emphasis, quae perpetuam personam conplectitur.* Simili modo optime explicabitur apostropha, quam legimus Aen. VII 759 sq., ubi Vergilius morte Umbronis, *viri fortissimi, quem nemus Angitiae, vitrea Fucinus unda, liquidi lacus fleverunt*, mihi quidem videtur iusto iure in lacrimas raptatus. Lege porro versus, qui sunt Met. XI 44 sq., quibus narratur de morte Orphei, *quem maestae volucres, turba ferarum, rigidi silices, carmina saepe secutae fleverunt silvae,* aut Met. XII 68, ubi sermo vertitur in Protesilaum qui *primus fataliter Hectorea hasta cadit*: iam concedes omnes hos locos eiusmodi esse, ut poetae in maiorem animi affectum incidere potuerint, unde apostrophae profluxerunt. Reliqua exempla, ubi figura illa similiter optime intellegitur ex poetarum luctu vel misericordia, quae efficiuntur sive morte alicuius sive rebus quibusdam adversis, satis habeo enumerasse, cum omnia explicare longum ac supervacaneum mihi quidem videatur; quae inveniuntur: Aen. X 430; Met. I 489 sq.; IV 242 sq.; VIII 459; IX 138; 649 sqq.; X 69 sq.; 311 sqq.; Art. amat. II 249 sq.; Fast. VI 528.

Cum ex apostrophis adhuc allatis illi tristes affectus dicti eluxerint, vertit se poeta ira et indignatione inflammatus in versu, qui est Aen. IV 412, in Amorem deum: *Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis?* Adiectivo *improbe* dilucide demonstratur, ex quali animi motu apostropha profluxerit. Eadem indignatio poetae subest apostrophis, quae inveniuntur Art. amat. III 459, ubi compellatur Demophoon, *heres Thesei criminis, qui Phyllidem mala fide fefellit,* et Amor. I 8, 113, ubi poeta alloquitur per aversionem lenam his verbis: *Di tibi dent nullosque Lares inopemque senectam Et longas hiemes perpetuamque sitim.*

Irrisio et ludibrium videtur mihi fundamentum apostropharum, quas legimus Fastor. II 811, ubi sermo vertitur in Tarquinium, qui Lucretiam corrupit[2]), vel Fast. V 591 sqq., ubi sic extat:

1) Cf. p. 13 huius dissert.

2) *Quid, victor, gaudes? haec te victoria perdet. Heu quanto regnis nox stetit una tuis.*

Quid tibi nunc solitae mitti post terga sagittae,
Quid loca, quid rapidi profuit usus equi,
Parthe? refers aquilas, victos quoque porrigis arcus:
Pignora iam nostri nulla pudoris habes

vel Met. I 720, quibus versibus poeta compellat horrificum custodem Iunonium: *Arge, iaces, quodque in tot lumina lumen habebas, Exstinctum est, centumque oculos nox occupat una.*

Verte iam oculos ad versus, qui sunt Aen. X 315 sq.:

Inde Lichan ferit, exsectum iam matre perempta
Et tibi, Phoebe, sacrum . . . .:

Omnes qui secto matris ventre procreantur, addit Servius, *ideo sunt Apollini consecrati, quia deus est medicinae, per quam lucem sortiuntur;* haec tanta auctoritas et dignitas dei videtur mihi poetam raptasse in venerationem ac pietatem; laudes gratesque insitae sunt huic apostrophae atque suo iure revocat Nordenus in commentario nos ab loco[1]), qui est similis huius, de quo tractamus, ad illa epigrammata, quae in donariis inscribebantur (σοὶ . . . Φοῖβε . . . δῶρα τάδε κρέμαται A. P. VI 9[2]). Eadem religio deorum subesse mihi quidem videtur, cum invocantur per aversionem Bacchus (Georg. II 2) vel *magna Pales et memorandus pastor ab Amphryso et Lycaeus* (Georg. III 1) vel *Clitumnus, fluvialis deus* (Georg. II 146) vel *puellae Naides* (Ecl. X 9/10). Ovidi carmina talium exemplorum magnum numerum praebent, qua de causa ea simpliciter enumerare mihi liceat: Met. IV 16 sqq.; IV 192; VI 596; XI 237; Fast. I 412; II 861; III 327; IV 85; VI 101; 486; 569; 761; Ibid. 405; Trist. IV 10, 117 sqq.; Ex Pont. IV 4, 23; Art. amat. II 587; Amor. III 2, 55; Remed. 11.

Non semel procreatur apostropha ex eodem affectu venerationis, quae pertinet ad homines quosdam. Sic enim ille motus animi poetae effectus videtur auctoritate domus regiae, cum Aeneid. V 564 sermo convertitur in Politen, *unum natorum Priami* (cf. Ae. II 522), quamquam concedo hunc locum fortasse melius inseri illis exemplis, in quibus apostropha ex dolore luctuque poetae explicanda est; verisimile enim mihi videtur Vergilio in animo id fuisse, quam miserabili modo Polites a Pyrrho trucidatus sit.

1) Specto ad versum 18, de quo postea tractabo (cf. p. 31).

2) Falso legitur apud Nordenum A. P. V 9.

(cf. Aen. II 525 sqq.). Similiter videntur quasi mixta veneratio et maeror in apostrophis, quas legimus Aen. X 791 sqq., ubi de *mortis durae casu atque optimis factis Mezenti* et de *memorando Lauso* verba fiunt. Certo subest veneratio et pietas apostrophae, quam praebent primi versus libri septimi Aeneidos, ubi legimus: *Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix, Aeternam moriens famam, Caieta, dedisti; Et nunc servat honos sedem tuus ossaque nomen Hesperia in magna, siqua est ea gloria, signat.* Quibusdam locis oritur veneratio ex fortitudine, *felicibus armis insignium virorum;* ita commode iudicabis de apostrophis, quae inveniuntur Aen. VII 733; 745; X 411.

Neque Ovidiana exempla eiusdem generis desunt, sive agitur de viris aut summo genere natis aut virtutibus quibusdam vel artibus inclutis (cf. Fast. I 559; II 120; IV 548; 715; VI 729; Met. IX 229; 447; X 162; Ex Ponto II 7, 67; Trist. IV 3, 77; Art. amat. II 279; Amor. III 9, 41); sive ille affectus efficitur commemoratis pulchris feminis aut pueris (cf. Met. VII 144; X 543; Art. amat. III 251; 519 [1])), sive dicitur de cive Romano, ut poetam subeat tamquam admiratio suae gentis (cf. Met. XV 654; Fast. IV 119).

Obstupefactus vel quasi attonitus poeta optime significatur per apostropham quam legimus in versu qui est Georg. III 277, quo loco furor insignis et praeceps fuga equarum primo vere describitur; lege quaeso versus: iam cognosces, quanto in affectu poeta versatus sit, atque concedes ex illo aversionem in eurum factam perbene intellegi posse. Similiter pendent a stupore et admiratione poetae versus, quos invenis Met. II 176 sq.: *Te quoque turbatum memorant fugisse, Boote, Quamvis tardus eras et te tua plaustra tenebant.*

§ 5. Omnibus exemplis hac paragrapho allatis hoc erat commune, quod apostropha inveniebatur talibus locis, ubi poeta ipse narravit. Atqui inducuntur a poetis dei vel homines narrantes; ex quarum personarum affectu aliquo apostropham saepius intellegendam esse liceat mihi exemplis demonstrare. Sic enim explico aversionem, quam habemus Aen. II 429: Aeneas memoria mortis Panthi, quem *labentem nec pietas nec Apollinis infula texit,* raptatur quasi in lacrimas, quo ex affectu vertat sermonem ad

1) Ex hoc loco elucet simul indignatio poetae.

illum virum. Similiter luget per apostropham tamquam ante oculos omnium Ulixes mortem Achillis in versu, qui est Met. XIII 130; atque haec mea sententia confirmatur optime eo, quod poeta ipse addidit per parenthesim: *manuque simul veluti lacrimantia tersit Lumina.*

Religio dei elucet, cum Aeneas Aeneid. III 371 sermonem vertit ad Phoebum aut Anchises Aen. VI 870 ad superos aut Medea Metam. VII 207 ad Lunam, amor pietasque, cum Aeneas in versu, qui est Ae. II 664, compellat *matrem almam* aut alio loco, qui est Ae. XI 58, Iulum. Nemo porro contendet apostropham, quam Nisi filia in versu, qui invenitur Met. VIII 64, facit in Minoem, profluxisse ex amore virginis timentis ac veritae, ne quis *imprudens pectora amati viri vulneraret!* Simili modo allocutio Annae in versu, quem legimus Heroid. VII 191, optime intellegitur ex amore Didonis sororis. Memoria eius autem, qui eripuerat Euandro carissimum, quod habebat, in animo patris scilicet nihil aliud effici potest nisi odium et ira, unde oritur Ae. XI 173 haec aversio: *Tu quoque nunc stares immanis truncus in armis, Esset par aetas et idem si robur ab annis, Turne.*

§ 6. In exemplis, quae adhuc tractavi, compellabantur semper personae quaedam, vel superi vel mortales; quibus statim asseram nonnulla eius modi, ubi sermo vertitur ad nomina quaedam abstracta, quae tamen a poeta quasi personas habita esse apparet. Sic enim legimus Ae. III 56 sq.: *Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?* Hac in apostropha iudicanda Quintilianum, qui loco supra dicto (cf. p. 11) hoc ipsum exemplum afferens in enallage personae cognoscit nihil nisi grammaticam figuram, qua *sensus non mutatur, sed tantum forma eloquendi,* erravisse mihi quidem constat. Hoc enim versu redigitur in memoriam nostram ille, qui tractatus est p. 16, h. e. Ae. IV 412: *Improbe Amor, quid non mortalia pectora cogis?* Ut vero supra feci, hanc quoque apostropham sine ulla dubitatione explico ex indignatione. Atque nemo contendet facinore Polymestoris, qui Polydorum auro potiendi causa obtruncavit, animum Aeneae iusto iure affici posse odio, indignatione, ira in auri sacram famem; vel ex hoc adiectivo „sacer" cognoscitur, quali in affectu Aeneas versatus sit. Simili modo orta est apostropha Vergiliana, quae legitur Ecl. IX 51: *Omnia fers, aetas, animum quoque ....* et Ovidiana, quam invenis Met. XIII 517: *Quo me servas, annosa*

senectus? Partim admiratio poetae, partim misericordia videntur mihi insita loco qui est Amor. III 8, 45 sq.:

Contra te sollers, hominum natura, fuisti
Et nimium damnis ingeniosa tuis!

§ 7. Porro inveniuntur huius modi exempla, ubi ex affectu aliquo apostropha fit in bestias quasdam. Quid? nonne concedendum est corvum loquacem, *indicem inexorabilem,* qui pulchram Larissaeam Coronida prodidit, aptissimum esse ad indignationem excitandam? Quodsi Ovidius in versibus quos legis Met. II 534 sq. apostropham adhibuit, hanc optime intellegimus ex illo affectu; idem elucet ex apostropha ad *accipitrem,* quam habemus Trist. I 1, 76, qui avis rapax *unguibus suis columbam sauciare solet.* A misericordia autem proficiscitur, quod legimus Fast. I 441, ubi agitur de avibus, *solaciis ruris,* de hoc *innocuo genere,* quod tam saepe caedatur. Tales bestiarum invocationes apud Vergilium non inveni.

§ 8. Denique extant eiusmodi loci, quibus sermo vertitur ad res quasdam inanimas, ut versu qui est Ae. II 56: *Troiaque nunc staret, Priamique arx alta maneres.* Servii sententia qua declaratur Vergilium ad usurpandam hanc apostropham eo commotum esse, ut evitaret syllabas similiter desinentes, quae efficiuntur formis *maneret* et *staret,* iam a Weidnero in commentario supra dicto reiecta est; multis enim locis idem, quo Servius offenditur, invenimus: cf. Ae. III 549 (*velatarum . . . antemnarum*); Aen. VIII 47 (*denis . . . annis*); Ae. XI 872 (*instantis . . . ferentis*); Georg. I 226 (*vanis . . . avenis*), ut alia mittam. Audiamus vero, quid iudicet Weidnerus: Es ist die *religio loci,* welche die Apostrophe veranlasste. Die *arx Priami,* Pergama oder Pergamos, war gewissermassen die *sedes imperii sacrata.* Um nun diese heilige Urstätte von der Stadt selbst zu unterscheiden, daher der Wechsel *staret* ... *maneres.* Freilich war gewiss auch die Nennung des Priamus, die Erinnerung an den altehrwürdigen König, der mit seiner Burg stand und fiel, nicht ohne Einfluss. Cui Weidneri explicationi omnes assentiemur; quin enim tales sacri loci sint apti, quibus animus vehementissime commoveatur, nemo dubitabit, atque haec quoque inanimatae rei adlocutio perbene intellegitur ex eadem interiore ratione, quam supra cognovimus, ubi sermo vertebatur ad animalia quaedam. Similiter elucet reverentia poetae ex apostropha, quae legitur Ecl. VIII 93: *terra, tibi mando.*

Apud Ovidium religio loci optime affertur causa apostrophae, quam habemus Fast. IV 874: *et bello te quoque cepit, Eryx,* vel Fast. IV 859 sqq., ubi Roma urbs invocatur; an vertamus vitio civi Romano, qui loquitur de patria, quod orationem admovet ad sensus motusque animorum inflammandos? Eadem veneratio subest porro apostrophae, cum Hercules Met. IX 186 sqq. cum aversione dicit:

Vosne, manus, validi pressistis cornua tauri?
Vestrum opus Elis habet, vestrum Stymphalides undae,
Partheniumque nemus? vestra virtute relatus
Thermodontiaco caelatus balteus auro,
Pomaque ab insomni non custodita dracone?

Quasi clamor admirantis poetae autem dici possunt versus, quos legimus Met. XIV 794 sq.: *et Alpino modo quae certare rigori Audebatis aquae, non ceditis ignibus ipsis.* Indignatio fundamentum videtur apostropharum, quae leguntur Fast. II 749: *Postmodo victa cades, melioribus, Ardea, restas, Improba, quae nostros cogis abesse viros* et Amor. III 2, 27 sq.: *Invida vestis eras, quae tam bona crura tegebas; Quoque magis spectes, invida vestis eras.*

Hoc igitur commentationis capite collegisse mihi videor exempla, ubi apostropham ex mere interiore ratione, h. e. ex affectu profluxisse apparet. Itaque omnes adhuc allatae apostrophae non possunt inseri figuris grammaticis quas vocamus, sed potius rhetoricis, h. e. illi *acriori generi, quod non tantum in ratione positum est loquendi, sed ipsis sensibus cum gratiam tum etiam vires accommodat.* Nusquam enallage casus vel personae, quamquam per hanc formam eloquendi peccabatur in ordinem narrationis rectum et institutum, praebebat nobis aliquid offensionis, sed ea erat nobis iucunda similiter atque *in cibis interim acor ipse iucundus est* (Quintil. IX 3, 27).

B.

§ 9. Iam vero oculos verte mecum ad versus, qui sunt Aen. VI 30 sq.: . . . *tu quoque magnam Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.* Nordenus in commentario annotat haec: Das Ethos dieser Verse fühlten schon die antiken Leser, wie die

Nachahmungen Ovids und Späterer zeigen. *Ἔοικεν ὁ ποιητὴς συνάχθεσθαι* (*schol.* B. zu Ilias *N.* 178 sq.) oder *sympathiam poeta ex sua persona fecit* (*schol. Dan.* zu IX 424) würde man das Ethos antik formulieren, zu dessen Steigerung Vergil sich hier der Apostrophe (*Icare*) bedient. Nordenus explicat igitur apostropham illo modo, quem adhuc cognovimus, atque eum hoc fecisse suo iure nemo negabit. Omnes enim scimus sortem Icari infelicem et adulescente commemorato poetam in maerorem ac dolorem incidisse atque ex hoc affectu apostropham adscivisse verisimile videtur. Sed accedit aliud hoc loco: fac enim, quaeso, Vergilium enallagen personae non adhibuisse; tum dicendum fuit: Icarus quoque magnam partem in tanto opere haberet, sineret dolor. Quae verba quomodo redigi potuerunt in metrum heroicum? Tali autem difficultate poetas Romanorum omnino obstrictos fuisse inter omnes constat; velut Weise in libro, qui inscribitur 'Charakteristik der lateinischen Sprache' sic iudicat de hac re[1]): Die lateinische Sprache war ein sprödes Metall, das nur mit Mühe verarbeitet werden konnte, und die Dichter hatten begründetes Recht dazu, in die Klage auszubrechen, die in der Legende von Pilatus über die deutsche Sprache erhoben wird: ihre Härte mache sie wenig zur Poesie geeignet, aber man müsse sie behandeln wie Stahl, der auf dem Amboss geschmeidig werde; Mühe und Arbeit müsse man ihr widmen. Praecipue autem versabantur in angustiis poetae in metro heroico; praeter alios viros doctos nuper tractavit perbene[2]) de hac re Bednara in commentatione, quam supra attuli. Multae voces abhorrent plane a versu dactylico velut eae, quae continent creticum (h. e. –◡–). Iam respice quaeso ad illa verba quae ante attuli; nominativus *Icarus,* nisi positus ante vocalem semper praebet speciem cretici. Quae tanta difficultas, quae per enallagen casus (vocativus *Icare* metro aptissimus est) commode evitata est. Accedit aliud: poeta, qui propriam versus heroici naturam servare volebat, id studere debebat, ut in quinto pede merus dactylus (–◡◡) poneretur; spondeus hoc loco semper ponitur tantum de certa aliqua causa. In pentametro etiam poscebatur dactylus et in quarto et in quinto pede. Quodsi

1) Cf. p. 106, 3. Auflage, Leipzig 1905.

2) Cf. Deutsche Literaturzeitung 1907. 10. S. 610, ubi Gleditsch de hoc libello censuram scripsit.

versum, quem modo tractamus, percensebis, concedes per vocativum Icare, h. e. per apostropham adhibitam simul quoque commode procreatum esse illum merum dactylum in quinto pede hexametri necessarium. Itaque de hoc versu sic iudico: sine dubio locus est eius modi, ut Vergilius incidere potuerit in affectum, cuius significandi gratia uteretur apostropha; constat vero per hanc figuram simul difficultates quasdam metricas evitatas aut levatas esse, quod temere ac casu accidisse non existimo.

Hoc capite igitur colligam illius similia exempla, ubi in figura explicanda respiciendae sunt et interior ratio et metrica. Atque primum quidem tractabo de locis, quibus per apostropham evitabantur formae praebentes speciem cretici[1]).

Ordiamur ab Aen. XII. 538 sq.: *nec tua te, Graium fortissime Cretheu, Eripuit Turno* . . . . et postea 542 sqq.: *Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi Oppetere et late terram consternere tergo. Occidis, Argivae quem non potuere phalanges sternere nec Priami regnorum aversor Achilles; Hic tibi mortis erant metae: domus alta sub Ida, Lyrnesi domus alta, solo Laurente sepulchrum.*

Poetam his locis per apostropham suum maerorem interponere voluisse pro certo habendum mihi videtur; tamen non neglegendum est formas *fortissimum* et *Aeolum,* quas recto sermonis ordine exspectamus, ab eisdem versibus respui. Similiter res se habet in versu, qui est Ecl. VI 47, ubi affectus poetae per adiectivum *infelix* fere demonstrari videtur, aut Aen. III 710 sq., ubi Aeneas compellat Anchisen ita: *hic me pater optime, fessum Deseris, heu tantis nèquiquam erepte periclis.* Quo modo autem, quaeso, inseras illis versibus formas *virginem* et *optimus?* Eandem rem invenimus in exemplis quibusdam Ovidianis. Lege quaeso verba, quae extant a versu Met. XIII 393 usque ad versum 428: facile concedes apostrophas in versibus 393 et 421 a summo dolore poetae proficisci videri; sed utroque loco circumscripta est forma *Cyllarum;* atqui constat Ovidium sibi proposuisse hanc legem, ut syllabis finalibus in *m* litteram exeuntibus eodem modo uteretur, quo longis syllabis[2])

1) Tales versus, ubi accedit, quod simul per enallagen casus vel personae efficiebatur dactylus merus in quinto hexametri pede vel in quarto aut quinto pentametri, postea colligam tertia decima paragrapho.

2) Cf. Haupt Observat. crit. p. 21; Opuscul. I p. 96; Draheim de arte metrica Hermae vol. XIV p. 255; L. Mueller de re metr.² p. 347.

(Vergilius admittit elisionem [1]). *Cyllarum* igitur ne per elisionem quidem metro aptari potest. Eodem modo iudico de versibus qui sunt Met. XIII 483 sqq.: .... *Teque gemunt, virgo, teque, o modo regia coniunx, Regia dicta parens, Asiae florentis imago, Nunc etiam praedae mala sors, quam victor Ulixes Esse suam nollet* ...

Simili modo misericordia poetae elucet ex apostropha Iphidis (Met. IX 715), virginis miserae, quam sic dicentem audimus [2]): *Quis me manet exitus, inquit, Cognita quam nulli, quam prodigiosa, novaeque Cura tenet veneris?* Et postea (v. 735): *Vellem nulla forem!* .... Cum vero poetae dactylici aetatis Augusteae elisionem in tali forma, quam praebet dativus *Iphidi,* non admittant, evitavit Ovidius hic quoque per enallagen casus vocem, quae per se a metro abhorrebat. Ibid. 191, Remed. 605, Amor. II 18, 22 [3]) illis exemplis asserenda sunt, quia, nisi apostropha adhibita esset, per iniquitatem verborum — omnes voces incipiunt a consona — ortae essent formae speciem cretici praebentes: *Sisyphus, Sithonis, Phyllidis;* similiter habuisset forma *Sidonis* in versu qui est Fast. V 610 [4]) nullum locum.

Adhuc tantum de eis exemplis tractavi, quibus in explicanda apostropha illa metrica difficultas formarum, quae creticum continent, superata accedebat ad interiorem rationem misericordiae et doloris. Verte iam oculos ad locum, quem legimus Heroid. VI 48: *Quid tibi cum patria, navita Tiphy, mea?* Perbene explicabis hanc apostropham ita ut dicas poetae in animo fuisse odium et indignationem significare, quam habebat Hypsipyle, decepta per Iasonem, in gubernatorem Argonautarum, qui navem ad litora Lemnia pellens causa fuerit doloris summi. Simul vero concedes formas et *navitae* et *Tiphyi* nullo modo in metrum quadraturas fuisse. Porro quis neget indignationem et horrorem poetae insita esse versibus qui leguntur Met. XII 219 sqq.: *Nam tibi, saevorum saevissime Centaurorum, Euryte, quam vino, pectus tam virgine visa Ardet, et ebrietas geminata libidine regnat. Saevissimo Euryto* autem a metro respuitur. Reliquos locos Ovidianos, ubi res similiter se habet, satis habeo enumerasse; quos invenis:

1) Cf. Franzen, Ueber den Unterschied des Hexameters bei Vergil und Horaz (Prgr. Crefeld 1881) p. 12 sq.

2) Cf. Met. IX 726 sqq.

3) De hoc loco simul confer quod dicam p. 27.

4) De hoc versu vide quod addam p. 30.

Met. VIII 240, Art. amat. III 35 [1]); 254; 713 sq.; Remed. 355 [2]), Heroid. XVII 37; Met. I 438; XV 234 sq. Exemplum, quod postremo loco attuli, ab reliquis differt eo, quod in illis nomen aliquod proprium vel adiectivum huic appositum, hic autem verbum, quod vocamus finitum (*destruunt*) speciem cretici continuisset, nisi apostropha adhibita esset. Apud Vergilium tale exemplum legitur Aen. VII 318 sq.: *Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo, Et Bellona manet te pronuba* .... Saevae Iunonis odium, quo inflammata est dea in Aeneam, quem *regnis Latinis prohibere* non potest, transfusum videtur in Laviniam; haec *virgo* erit causa omnium malorum futurorum. Quo ex animi Iunonis motu optime apostropha explicabitur; tamen respiciendum est *dotabitur* in his versibus plerumque habiturum fuisse speciem cretici.

Multis locis accedit ratio illius metricae difficultatis evitatae ad interiorem venerationis sive deorum sive hominum. Sic Aeneid. VIII 84 sq. legitur: *Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxuma Iuno, Mactat sacra ferens et cum grege sistit ad aram.* Et adiectivo *maxuma* et pronomine bis dicto *tibi* demonstratur, quanto in animi motu poeta fuerit; si vero enallage casus facta non esset, propter dativum *maxumae* poeta versatus esset in angustiis. Similem rem habemus in versu, qui est Aen. VII 49 [3]), ubi *ultimum* per iniquitatem vocum reliquarum a metro abhorret. Ex Ovidianis exemplis huius generis unum explicabo, quod legis Met. VIII 731 sqq., ubi sermo vertitur in Proteum, *complexi terram maris incolam,* cui *in plures ius est transire figuras:*

Nam modo te iuvenem, modo te videre leonem:
Nunc violentus aper, nunc, quem tetigisse timerent,
Anguis eras; modo te faciebant cornua taurum,
Saepe lapis poteras, arbor quoque saepe videri:
Interdum, faciem liquidarum imitatus aquarum,
Flumen eras. Interdum undis contrarius ignis.

Quem non ducat tanta potentia in reverentiam et venerationem. Sed hic quoque observandum est per apostropham in versu 731 factam simul formam *Proteo* evitatam esse. Reliquos

1) Accusativus *Thesea* ante vocalem positus praebet pessimam elisionem.

2) Et *Phineos* et *Phinei* ab hoc versu abhorrent.

3) Ita legis: *isque parentem te, Saturne, refert, tu sanguinis ultimus auctor.*

eiusdem generis locos Ovidianos qui inveniuntur satis habebo enumerasse: Fast. I 637 sqq.; II 598; III 772; Met. II 543; IX 641.

Lege porro Aen. V 495 sq.: *Tertius Eurytion, tuus o clarissime frater Pandare, qui quondam, iussus confundere foedus, Tu medios telum torsisti primus Achivos.* Vergilium interposuisse per apostropham suam admirationem in hunc hominem inclutum Pandarum apparere mihi quidem videtur; quo modo vero inseruisset poeta versibus formas: clarissimi et Pandari? Cum similis generis exempla Vergiliana et Ovidiana explicare longum sit, haec quoque simpliciter enumerare liceat mihi: Georg. I 503; II 170; IV 465 sqq., Aen. I 555; X 139 sqq. (141!); X 402; XI 7; Eclog. III 88; V 66 (de hoc loco confer, quaeso, quod dicam p. 35); Met. VII 399; VIII 49; X 120; XI 415; XIV 806; Fast. II 91; 241; 492; III 55; 197; IV 20; VI 724; Art. amat. I 101; 131; III 204; 323; 410; Ex Pont. IV 6, 9; IV 8, 31; 65; IV 13, 29; Trist. V 11, 23; omnium horum locorum igitur proprium est, quod apostropha adscita videtur ad significandam ab aliqua ratione proficiscentem admirationem; simul vero hoc modo circumscribuntur formae speciem cretici praebentes.

Ut huius paragraphi finem faciam, restat, ut addam exempla, quibus sermo vertitur ad res quasdam inanimas. Sic enim invocatur per aversionem Aen. X 200 *Mantua* oppidum; Vergilium venerationem in patriam suam versibus interponere voluisse demonstrari mihi videtur ex interpositione (παρένθεσις) quae illum versum sequitur: *Mantua, dives avis, sed non genus omnibus unum: Gens illi triplex, populi sub gente quaterni, Ipsa caput populis, Tusco de sanguine vires.* Tum vero confer eandem apostropham, quae extat Georg. III 12: *primus Idumaeas referam tibi, Mantua, palmas,* quibus locis addo Eclog. II 54 sq, ubi legitur: *et vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte: sic positae quoniam suaves miscetis odores.* Hanc aversionem ex eodem affectu venerationis profluxisse verisimile videtur; omnes enim scimus, quam carae Romanis fuerint illae deis sacrae arbores; nemo nisi superi vel viri illustrissimi ramis earum ornabantur. Similiter, cum invocantur per Ovidium *curia prisca* (Fast. III 140) aut *pulcherrima Roma* (Ex Pont. I 2, 83) aut *rebellatrix Germania* (Trist. III 12, 47) aut *lectulus* (Trist. I 11, 38), elucent ex his apostrophis affectus quidam, partim

veneratio partim odium. Ubique vero evitantur simul per enallagen casus formae, quae aut per se aut per iniquitatem reliquarum vocum speciem cretici continentes versui dactylico inseri non potuerunt.

§ 10. Quibus absolutis refer oculos mecum ad locum, quem supra p. 24 tractavimus, scil. Amor. II 18, 22, ubi est: *et lacrimas, Phylli relicta, tuas;* quam apostropham supra diximus optime intellegi ex misericordia poetae, respiciendum vero esse, quod forma *Phyllidis* versui iniqua per enallagen casus evitata est. Sed aliud accedit: illa verba sunt in pentametro, quo ab versu omnino abhorrere voces, quae praebent speciem aut bacchei (h. e. ◡––) aut ionici a minore (h. e. ◡◡––) inter omnes constat. Itaque per illam apostropham praeterea evitata est iniqua forma *relictae,* quae illius speciei metricae ◡–– sit.

Eodem misericordiae affectu commotus videtur poeta sermonem vertisse Fast. VI 494 ad infelicem Melicertam aut Trist. I 5, 22 ad *te, tristis Oresta;* Fast. III 612 Ovidius quasi flet, ut poetae ipsius verbis utar, una cum Cythereio heroe *admonitu motus, Elissa, tui.* Fast. II 718 autem sine dubio inest indignatio, cui affectui tamquam testimonio est adiectivum *dirus,* quod nomini Superbi additum est; simili affectu incitatus adhibuisse videtur poeta apostropham in versibus, qui leguntur Trist. III 2, 3 sq.: *Nec vos, Pierides, nec stirps Letoia, vestro Docta sacerdoti turba tulistis opem.* Omnibus his locis autem commune est, quod per enallagen casus vel personae evitantur tales formae (*Melicertam, Orestam, Elissae, Superbi, tulerunt*) quae pentametro inseri nullo modo potuerunt.

Idem habes aliis nonnullis locis, e quibus veneratio deorum vel hominum propalam elucet: sive invocantur *casta Minerva* (Amor. I 7, 18), sive *Quirinus* (Fast. IV 56), sive Thybris deus fluvialis, *futurus parens potentis aquae* (Fast. IV 572), sive *iustus Latinus* (Fast. II 544; Amor. II 12, 22), sive *cultus Tibullus* (Amor. I 15, 28), sive *nupta pudica Lucretia* (Fast. II 794), sive *Homerus* (Amor. III 8, 28); ubique autem in ordine verborum recto vel in nominibus propriis vel in adiectivis haberes formas bacchei aut ionici a minore. Tres loci similis generis restant, qui cohaerent inter se ita, ut apostropham ab affectu quodam profluxisse verisimile sit, ut vero nomina, per se metro apta, per iniquitatem reliquarum versuum vocum non quadra-

tura fuissent in pentametrum, nisi illa enallage adhibita esset; qui loci sunt: Fast. VI 490 *Tuque cadis patria, parve Learche, manu;* Amor. III 9, 66 *Auxisti numeros, culte Tibulle, tuos;* III 9, 61 sq. [1]) *Obvius huic venias hedera iuvenalia cinctus Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo.*

§ 11. Cum in pentametrum formae speciei metricae, de qua modo diximus, omnino non inseri potuerint, hexametro tales voces aptae fuerunt tantum sub gravibus condicionibus, h. e. non poni potuerunt nisi in quarto aut sexto pede. Quam rem poetis molestissimam fuisse nemo negabit. Cuius generis est Aen. X 390 sqq.: *Vos etiam, gemini, Rutulis cecidistis in agris, Daucia, Laride Thymberque, simillima proles, Indiscreta* e. q. s. Pro certo fere statuam hanc apostropham a misericordia poetae profectam esse; quem enim non capiat summus dolor atque maeror cogitantem de horrido interitu Thymbri et Laridis geminorum, quorum alteri caput ense Euandri aufertur, alteri dextera manus deciditur. Si autem servasset poeta narrationis ordinem institutum, forma *ceciderunt* in quarto vel sexto pede versus ponenda erat. Ex his angustiis solvebatur Vergilius commode per enallagen personae. Eiusdem generis plura exempla praebet Ovidius. Lege quaeso versus qui sunt Met. XIII 429sqq.:

Est, ubi Troia fuit, Phrygiae contraria tellus
Bistoniis habitata viris. Polymestoris illic
Regia dives erat, cui te commisit alendum
Clam, Polydore, pater Phrygiisque removit ab armis:
Consilium sapiens, sceleris nisi praemia magnas
Adiecisset opes, animi irritamen avari.
Ut cecidit fortuna Phrygum, capit impius ensem
Rex Thracum, iuguloque sui defigit alumni:
Et tanquam tolli cum corpore crimina possent,
Exanimem e scopulo subiectas misit in undas.

Sortem Polydori aptissimam esse, ut aliquis rapiatur in affectus quosdam, supra [2]) iam vidimus Vergiliano loco, qui est Aen. IV 112, ubi motus Aeneae animi significatur per apostropham in *te, auri sacra fames.* Ovidium igitur hoc loco in versibus 431/32 suam misericordiam interposuisse verisimile est; simul autem con-

1) De hoc loco vide quoque p. 30.
2) Cf. p. 19.

stat poetam propter accusativum *Polydorum* in angustiis versaturum fuisse. Similiter a misericordia pendere videtur, quod Met. X 185 poeta se vertit in Hyacinthum aut Met. XV 116 sq. in *oves, placidum pecus,* vel Met. IX 360 Iole in sororem Dryopem. Religio deorum autem inest sine dubio apostrophae Arethusae, *sacri fontis,* quae legitur Met. V 573, atque vix miraberis, quod dico Ovidium in versu qui est Met. V 242 indignatione permotum se vertisse in Polydectam *rectorem parvae Seriphi,* quem *nec iuvenis* (Persei) *virtus per tot spectata labores, nec mala mollierant, qui inexorabile durus exercet odium, detractat etiam laudes fictamque Medusae arguit esse necem.* Ex eadem indignatione perbene explicabis apostrophas, quae fiunt Art. amat. II 361 sqq. in *Menelaum stupidum ac furiosum, qui solus abibat,* cum *isdem sub tectis hospes et uxor essent,* aut Met. XII 296 in *saevum Dryanthem,* qui *tam fortes ac multos adversarios dextra perculit,* aut Met. IX 101 in *Nessum ferocem,* qui *vetitos concubitus petebat* et *uxori Herculis vim afferre volebat.* Odio concita videtur porro Galatea Nereis Met. XIII 765 compellare Polyphemum (confer quaeso v. 756 sq.: *Nec, si quaesieris, odium Cyclopis, amorne Acidis in nobis fuerit praesentior, edam: Par utrumque fuit* ...) aut Ariadna apostropham facere, quam invenimus Heroid. X 111: *Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?* Omnibus autem his locis circumscribuntur per illam figuram simul voces baccheum vel ionicum a minore continentes.

Ut similis generis exempla omnia absolvamus, denique afferendi sunt nonnulli loci, quos illustrabo versibus, qui leguntur Remed. 773 sqq.: *Quid, Menelae, doles? ibas sine coniuge Creten Et poteras nupta lentus abesse tua; Ut Paris hanc rapuit, nunc demum uxore carere Non potes: alterius crevit amore tuus.* Ut Art. amat. II 361 sqq. [1]), hic quoque cernitur poeta indignans et irridens; quibus vero in angustiis fuisset Ovidius, si adhibuisset nominativum *Menelaus,* qui per se metro non iniquus hoc in versu semper praebuisset speciem ionici a minore. Similiter res se habet locis, qui sunt Remed. 471 [2]); Art. amat. III 253; Heroid. IX 151; Aen. V 840; VI 873; Aen. VIII 668 [3]); Eclog. I 36, quos enumerasse satis habeo.

1) Quos versus modo explicavi.
2) Cf. paragraphum sequentem.
3) Huic versui, ubi sermo vertitur ad Catilinam, annotat Servius: *hoc quasi in Ciceronis gratiam dictum videtur.*

§ 12. Age vero respice quaeso ad locum, quem legimus Fast. V 610. Ad illa, quae supra[1]) de huius versus apostropha dixi, accedit haec ratio: nisi rectus et institutus ordo sermonis in contrarium conversus esset, haberemus verba: *Sic Sidonis aspicienda fuerat Iovi.* Tres breves syllabae abhorrent scilicet a versu dactylico. Tales formae non nisi sub certis gravibus condicionibus in illud metrum quadrant. *Fuerat* in versu quem tractamus nisi ante *sic* et post *Iovi* poni non potest. Quae tanta difficultas facile per enallagen personae (*fueras*) evitabatur. Idem habes loco, qui est Remed. 471, quem modo p. 29 tractavi: *Quid lacrimas, odiose senex?* . . . Qua ratione inseras huic versui formam *lacrimat?* Fast. V 309 sq. legitur: *Hippolite infelix, velles coluisse Dionen, Cum consternatis diripereris equis.* Misericordia poetae videtur demonstrari adiectivo *infelix;* simul vero per apostropham nominativus metro iniquus *Hippolitus* circumscribitur. Eiusdem rei non obliviscendum erit in iudicandis apostrophis quas invenis: Met. II 435: *Aspiceres utinam, Saturnia, mitior esses!* Met. XIII 758 sq.: . . . . *Pro quanta potentia regni Est, Venus alma, tui!* Amor. II 10, 11: *Quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores?* Amor. III 9, 61 sq.[2]): *Obvius huic venias hedera iuvenalia cinctus Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo.* Trist. V 5, 39 sq.: *Omnia nunc credo, cum tu non stultus ab arcto Terga, vapor,* d e d e r i s *Ausoniamque petas.* Quamquam hanc quam postremo loco attuli apostropham non dubito affirmare profluxisse ex v e n e r a t i o n e, quam poeta habet in *vaporem,* qui quasi deus cogitatur, ut demonstrari videtur versu 31: *Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis,* tamen hic quoque respiciendum erit, sic simul evitatam esse formam *dederit* tres breves syllabas praebentem.

§ 13. Supra p. 23 dixi me talia exempla, ubi per apostropham simul nascitur dactylus in quinto pede hexametri vel in quarto aut quinto pede pentametri, postea collecturum esse. Quod promisi, hac paragrapho faciam; affero igitur hos versus: M e t. I 438 (cf. p. 25); II 543 (p. 26); V 242 (p. 29); VII 399 (p. 26); VIII 49 (p. 26); 240 (p. 25); 731 (p. 25 sq.); IX 641 (p. 26); X 120 (p. 26); XI 415 (p. 26); XII 219 (p. 24); XIII 483 (p. 24); 765 (p. 29); F a s t. I 639 (p. 26); II 492 (p. 26); II 544

1) Cf. p. 24.
2) Cf. supra p. 28.

(p. 27); 598 (p. 26); 718 (p. 27); II 794 (p. 27); III 55 (p. 26); 140 (p. 26); 197 (p. 26); 612 (p. 27); 772 (p. 26); IV 56 (p. 27); 572 (p. 27); VI 490 (p. 28); VI 494 (p. 27); II 241 (p. 26); VI 724 (p. 26); T r i s t. I 5, 22 (p. 27); I 11, 38 (p. 26); III 2, 4 (p. 27); III 12, 47 (p. 26); E x P o n t. I 2, 83 (p. 26); IV 6, 9 (p. 26); 8, 31 (p. 26); 65 (p. 26); 13, 29 (p. 26); H e r o i d. VI 48 (p. 24); IX 151 (p. 29); X 111 (p. 29); XVII 37 (p. 25); A m o r. I 7, 18 (p. 27); 15, 28 (p. 27); II 18, 22 (p. 24; 27); III 8, 28 (p. 27); 9, 62 (p. 28); 9, 66 (p. 28); A r t. a m a t. I 101 (p. 26); III 204 (p. 26); 253 (p. 29); 254 (p. 25); 323 (p. 26); 410 (p. 26); A e n. I 555 (p. 26); III 710 (p. 23); V 495 (p. 26); VI 31 (p. 21); 873 (p. 29); VII 49 (p. 25); 318 (p. 25); VIII 84 (p. 25); 668 (p. 29); X 139 (p. 26); 185 (p. 26); 402 (p. 26); 200 (p. 26); 390 (p. 28); XI 7 (p. 26); XII 538 (p. 23); 542 (p. 23); G e o r g. II 170 (p. 26); III 12 (p. 26); E c l o g. I 36 (p. 29); II 54 (p. 26).

§ 14. Quibus absolutis asseram exempla eius generis, quod invenitur Aen. VI 18 sq.: *Redditus his primum terris tibi, Phoebe, sacravit Remigium alarum posuitque immania templa.*

Hic est locus, de quo N o r d e n u m haec dixisse iam supra[1]) annotavi: „Die Apostrophe des Gottes ist hier aus dem Stil der Dedikationsepigramme zu erklären; denn Dädalus weiht nach seiner glücklichen Fahrt durch das Luftmeer seine „Ruderflügel“ wie ein dem Sturm entronnener Schiffer seine Ruder (cf. Aen. XII 768 ff.).“ N o r d e n u s explicat igitur hanc apostropham ex r e l i g i o n e d e o r u m, quae sententia sine dubio probanda est; tamen simul moneam apostropham aptissimam fuisse metro, cum per vocativum *Phoebe* commode merus dactylus in quinto hexametri pede fieret. Idem habes, cum compellantur Aen. X 542 *rex Gradivus,* Ecl. VII 33 *Priapus,* Met. IV 756 *summus deorum,* Fast. I 454 *Inachis lauta,* Fast. I 634 *Maenalis diva,* Fast. II 449 sq. *dea Lucina, principium lucis,* Fast. II 106 *Phoebus,* Fast. V 101 *Semicaper Faunus,* Fast. V 19 *Saturnus,* Art. Amat. II 546 *tener Somnus.* V e n e r a t i o tum quoque subest, cum sermo vertitur Ex Pont. IV 16, 41 ad Cottam, *Pieridum lumen praesidiumque fori,* Met. I 204 ad Augustum imperatorem, Ae. XI 55 ad Euandrum, Ecl. VII 67 ad *Lycidam formosam,* Ecl. X 17 ad *divinum poetam.* Ut Pelops

1) Cf. p. 21.

paene concidit Pisaea hasta, atque *de manibus eius lora remissa fluent, dum spectat vultus Hippodamiae* (cf. Amor. III 2, 14 sqq.), sic videtur poeta Hippodamia commemorata raptus in admirationem; cf. Art. amat. II 8 et Amor. III 2, 16. Porro elucent sine dubio Anchises atque simul poeta ipse admirantes et elati sensu quodam sublimi, cum Aen. VI 851 aversio fit in *Romanum*, cuius sit, *populos regere imperio pacique imponere morem, parcere subiectis et debellare superbos.* Sed omnibus his locis per apostropham simul procreatur ille qui expectatur merus dactylus. Ira et indignatione inflammatum Vergilium in versu qui est Aen. VIII 643 se vertisse in *te Albane* pro certo statuam. Mettius Fufetius enim (hic est *Albanus*) a Tullo Hostilio rogatus, ut socius in bello Veiorum esset, hunc prodere conatus erat, unde *citae quadrigae distulerant Mettium in diversa atque viscera viri mendacis per silvam raptaverant.* Quid? Nonne videtur poeta ardens una cum Aenea in versibus qui sunt Aen. X 514 sqq. *agere ferro limitem per agmen latum, te, Turne, caede superbum nova quaerens?* Quae ira Vergili bene intellegitur: Pallas, amores ac deliciae omnium, a Turno trucidatus est. Ovidius praebet se hoc affectu irae incensum Art. amat. II 713, ubi alloquitur *lascivam* Briseidem, quae *sinebat se illis manibus* (Achillis sc.) *tangi, quae Phrygia nece semper imbutae erant.* Idem affectus elucet sine dubio ex locis, qui sunt Ecl. X 54; Remed. 366; 736; 760; Art. amat. I 211 sqq.; Fast. VI 732; Heroid. XIII 61; XVIII (XIX) 129, quos locos satis habeo hic enumerasse. Aen. X 324 sqq. legitur: *Tu quoque, flaventem prima lanugine malas Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon, Dardania stratus dextra, securus amorum, qui iuvenum tibi semper erant,* miserande iaceres, *Ni fratrum* e. q. s. Misericordia poetae dilucide his versibus insita est; in versu 327 autem per apostropham simul efficitur dactylus in quinto pede. Lege porro quaeso versus, qui sunt Aen. X 290 sqq. Tarchon oratione inflammante adducit socios, ut naves ad litora hostium pellant: *Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis; Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina. Frangere nec tali puppim statione recuso Arrepta tellure semel.* Atque omnia contingunt, *omnes carinae sedent innocuae, sed non puppis tua, Tarchon:* aber nur nicht dein Schiff, armer Tarchon; sic videntur mihi verba vertenda esse in linguam Germanorum. Peculiarem igitur vim huius apostrophae esse haud

quisquam negabit; tamen concedendum est per enallagen personae simul in versu 302 natum esse hunc merum dactylum: *(pup)pis tua.* Similiter metrica ratio accedit ad interiorem misericordiae his locis Ovidianis: Met. III 131; IX 581; XII 312 sqq.; XV 617; Fast. V 225; VI 553; Trist. III 10, 41; Art. amat. II 403; Remed. 68; 262; Ex Pont. I 9, 44. Georg. III 391 sqq. legimus: *Munere sic niveo lanae, si credere dignum est, Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit In nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem,* cui apostrophae insita videntur partim veneratio, partim misericordia, partim indignatio poetae; sed hic quoque figura versui dactylico fuit aptissima.

Ut huius paragraphi ad finem perveniamus, restat, ut afferam nonnullos locos, ubi sermo vertitur non ad personas quasdam, sed ad bestias et res inanimas.

Sic invocari videntur ex misericordia poetae Fast. I 362 *placidae oves: Quid bos, quid placidae commeruistis oves?* Veneratio et amor patriae inest sine dubio Heroid. X 67 sq.: *Non ego te, Crete centum digesta per urbes, Adspiciam, puero cognita terra Iovi,* et Fast. IV 806: *Quod fit natali nunc quoque, Roma, tuo.* Laetitia et admiratione captus recordatur Aeneas in versu qui est Aen. III 705 *palmosae Selinuntis.* Indignatione et ira perfusum habes Ovidium locis qui extant: Amor. III 12, 1 sq.: *Quis fuit ille dies, quo tristia semper amanti Omina non albae concinuistis aves?* Art. amat. I 338: *Hippolytum pavidi diripuistis equi.* Met. VI 421: .... *Solae cessastis Athenae.* Trist. V 5, 32: *Consilio fugiunt aethera, Ponte, tuum.* Trist. II 1 [1]): *Quid mihi vobiscum est, infelix cura, libelli.* Deridentem offert se poeta in versu qui est Trist. IV 10, 130: *Protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.* Semper autem efficitur per figuram dactylus in quinto pede hexametri vel in quarto aut quinto pede pentametri.

Hac dissertationis parte cognovimus exempla, ubi apostropha optime intellegebatur ex affectu aliquo, sed ut simul per eam leges aliquae metricae servarentur. Quod si crederes poetas ubique re vera ex illis duabus rationibus commotos esse ad figuram adsciscendam, sine dubio errares. Etiamsi interdum illa enallage casus

---

1) Hoc in versu evitatur simul forma *infelici* metro iniquissima; tales enim voces quae constant ex duobus spondeis in hexametro habent locum tantum in initio et in fine versus.

vel personae ita orta erit, saepissime poetas ne minimum quidem metricae rationis sibi conscios fuisse pro certo statuam, quamquam concedo contrariam quoque sententiam vix reici posse, nimirum extare locos, ubi poetae propria vi apostrophae neglecta nihil spectaverint quam ut metricas difficultates effugerent: quales apostrophas merito figuris grammaticis adscribas. Fundamentum tamen omnium apostropharum videtur affectus esse.

C.

§ 15. Aen. V 123 tales sunt: *genus unde tibi, Romane Cluenti.* Poetam fecisse hanc aversionem ex affectu aliquo persuadere mihi non possum. Porro lege quaeso versus, qui extant Aen. III 696, VII 797, Georg. IV 566, Ecl. III 73, ubi sermo vertitur ad Arethusam, Tiberinum, Tityrum, ventos. Quod supra diximus [1]) Ovidium in versu, qui est Met. V 573 Arethusam, *sacrum fontem,* ex affectu compellasse aut Vergilium Aen. VI 873 [2]) Tiberinum, qui *funera videbit, cum tumulum iuvenis Marcelli praeterlabetur recentem,* fuit, cur in poetis animi motus quidam existerent. Locis vero Vergilianis modo allatis nescio unde poeta excitari potuerit, nisi forte putamus nomine ipso dei alicuius commemorato (*venti* quoque quasi dei sunt) animum poetae veneratione et admiratione perfusum esse. Similiter iudico de aliis haud paucis Ovidianis locis, quibus sermo vertitur ad deos quosdam, velut vix intellegi potest, cur poeta re vera excitatus fuerit, cum invocantur: Fast. I 89 *Ianus biformis;* 359/60 *Bacchus;* 463 *Iuturna;* 651 *Phoebus;* II 50 *Terminus;* III 524 *advena Thybris;* V 268 *advena Nilus;* 343 *Achelous;* 729 sq. *publica Fortuna*; VI 112 *Phoebus*; 238 *lubricus Tybris*; 473 *Tithonus;* 637 *Concordia;* 711 *Thyene;* 755 *Dictynna;* 796 *Quirinus;* Met. I 728 *Nilus;* V 552 *Acheloides;* XI 50 *Hebrus;* XIV 730 *Troica Vesta;* XV 309 *corniger Ammon;* Trist. I 2, 80 *Nilus;* 10, 38 *Bacchus;* Remed. 743 *Neptunus*; Ex Pont. IV 10, 58 *Nilus;* Art. amat. III 83 *Luna;* 762 *Bacchus.* — Similiter res se habet nonnullis locis, ubi sermo vertitur ad homines quosdam; huc cadunt: Fast. IV 43 (*Latine*); 76 (*Apule Daune*); Met. II 368 sq. (*Qui tibi . . . . . Phaethon*);

1) Cf. p. 29.
2) Cf. p. 29.

IV 68 (*primi vidistis amantes*); X 450 (*primus tegis, Icare, vultus*); XII 363 (*tui . . . . Achille*); XIV 570 (*nec te, Lavinia virgo*); Trist. I 9, 33 (*tibi, Turne, relata*); III 8, 6 (*sive tuas Perseu, Daedale, sive tuas*); Remed. 382 (*Homere*); Art. amat. I 746 (*Tyndari*); III 2 (*Penthesilea*); 183 (*Amarylli, tuae*); 336 (*Phrixe*).

His asseram duo exempla, quae inter se cohaerent ita, ut compellentur bestiae quaedam; sic legimus: Fast. I 353 sq.: *exemplo territus huius Palmite debueras abstinuisse, caper;* et Fast. V 151 sq.: *Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri Prima Palatinae signa dedistis aves.*

Omnibus his locis vim quandam peculiarem inesse posse nego; sic enim, ut exemplum afferam, dicat quispiam Ovidium versui, quem postremo attuli, venerationem suam interposuisse in illas aves Palatinas. Sed mea quidem sententia omnes hae apostrophae ferunt in se aliquid, quo offendimur, quod optime significatur illis verbis, quae facit Weise spectans ad quaedam rhetorica remedia per Romanorum poetas usurpata p. 69 l. c.: „Es bleibt in uns das Gefühl, dass die rhetorische Figur hier mehr durch das Mittel des nüchternen Verstandes erzeugt ist; den warmen Hauch der Empfindung, der aus der Tiefe des Herzens dringt und wieder zum Herzen geht, vermissen wir.“ Quid igitur volunt hae apostrophae? Si locos cum diligentia curaque legeris, non te effugisse poterit, quod ubique aliquae difficultates metricae, de quibus priore dissertationis paragrapho tractavimus, evitatae aut levatae sunt; atque haec metrica ratio videtur mihi quidem fundamentum unicum harum apostropharum. Aliquid certi de hac re scilicet affirmari non potest, quoniam, ut supra iam dixi, poetam aversionem ex affectu fecisse non prorsus reprobari poterit. Sed utut res se habet, omnes concedent enallagen casus vel personae his locis factam non habuisse eundem *iucundum acorem* atque in prioribus exemplis.

D.

§ 16. Iam supra explicationem dedi versuum, qui extant Eclog. V 65 sq.: *en quattuor aras: Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.* Etiamsi per apostropham evitatus est dativus metro iniquus *Daphnidi,* fundamentum esse figurae putavi venerationis affectum. Miretur fortasse quispiam, quod sermo vertitur tantum ad Daphnin, ad Phoebum non item. Sed haec res facile explicari

3*

potest: Daphnidis gratia omnia sunt dicta, de huius morte et consecratione, ut ita dicam, in carmine agitur, unde cur poeta Daphnin maiore tamquam honore affecerit quam Phoebum deum optime intellegatur. Aliter res se habet in versibus qui leguntur Aen. III 118 sqq.: *Sic fatus meritos avis mactavit honores, Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo, Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.* Cur, quaeso, Vergilius compellat Apollinem solum? Nonne erant hic eodem iure invocandi reliqui dei qui nominantur? Eadem mira res invenitur Aen. VI 249 sqq.: *ipse atri velleris agnam Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori Ense ferit sterilemque tibi, Proserpina, vaccam,* aut Ecl. III 90: *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi.*

Nihil est, cur poeta Proserpinam maiore honore affecerit quam matrem Eumenidum et magnam sororem aut Maevium magis laeserit quam Bavium.

Ovidius exempla illorum similia praebet. Lege quaeso versus qui sunt Met. X 41 sqq.: De Tantalo, Ixione, Belidibus narratur, subito invocatur per enallagen personae Sisyphus. Met. IV 753 sqq. legimus: *Dis tribus ille focos totidem de caespite ponit, Laevum Mercurio, dextrum tibi, bellica virgo; Ara Iovis media est. mactatur vacca Minervae, Alipedi vitulus, taurus tibi, summe deorum.* Per apostropham versus 756 optime significatur auctoritas *summi deorum*; quid autem vult aversio in *bellicam virginem* facta in versu 754? Art. amat. III 334 Ovidius poetas puellis legendos enumerans dicit subito: *Tibulle, tuum*; Tibullum igitur alloquitur, quamquam de omnibus poetis, de Callimacho, Menandro, Sappho, Propertio, Gallo, ut de tertiis personis locutus est, et quamquam illud *Tibulle, tuum* cum secunda persona subiecti *possis* minime congruit. His locis apostropham nullo modo profluxisse ex affectu luce clarius est. Immo hae apostrophae sunt ponendae sine dubio in artificiorum numero, quibus poetae linguam Latinam metro dactylico aptabant (locis supra dictis evitatae sunt formae ab illis versibus omnino abhorrentes: *Apollini, Proserpinae, Daphnidi, Sisyphus, bellicae virgini, Tibulli;* praeterea ubique, ut omittamus Ecl. V 66, simul efficiebatur dactylus in quinto pede).

Exemplis huius generis allatis sunt adicienda nonnulla Ovidiana; atque primum quidem extant talia, ubi formae creticum continentes circumscriptae sunt; quae inveniuntur: Met. II 738; IV 458; VI 112; IX 185; XIV 806; Fast. III 95; IV 175; Ex

Pont. IV 10, 51; Trist. II 399. Art. amat. II 356 evitatur dativus *Laudamiae,* qui ex duobus spondeis constans in pentametrum non quadrat. Accedit, quod his omnibus locis per apostropham effectus est dactylus aut in quinto hexametri pede aut in quinto vel quarto pentametri. Similiter iudicandum est de apostrophis, quas legimus Fast. III 720; IV 173; 468; V 16; Amor. III 6, 28; 6, 104; Art. amat. II 472; III 191; Ibid. 362; Heroid. IX 50; ad talia exempla spectantes consentiemus igitur K e l l e r o dicenti l. c. p. 187: „Ferner wurde zur Gewinnung eines Daktylus, namentlich im 5. Fuss des Hexameters, die rhetorische Figur der Apostrophe (plötzliche Anrede einer sonst als Erzählungsobjekt in der 3. Person auftretenden Person) vielfach verwendet", et postea: „Die Dichter haben sich aber die Freiheit genommen, auch ohne innere Motivierung oder doch bei sehr schwacher innerer Motivierung die Apostrophe zu verwenden, um für den 5. Fuss des Hexameters einen Daktylus zu erhalten". Dactylum in hexametro non solum in quinto pede postulatum esse, sed illud fuisse proprium huius metri omnino per meros dactylos liquide profluere nemo nescit. Itaque apparet Ovidium adscivisse apostropham, ut dactylum in tertio pede crearet in versu qui legitur Met. XIII 927: *Quas neque cornigerae morsu laesere iuvencae Nec placidae c a r p s i s t i s o v e s hirtaeve capellae.*

Quodsi omnium hac paragrapho allatorum locorum apostrophas ex mere metrica ratione explicavimus, hoc est dicendum: h i c p o n e n d a e s t e n a l l a g e c a s u s v e l p e r s o n a e i n t e r f i g u r a s g r a m m a t i c a s, q u i b u s *sensus non mutatur, verum forma eloquendi.* Quid vero de hoc apostrophae usu iudicandum est? Estne idem *iucundus acor* atque in prioribus exemplis, ubi figura ex affectu orta videbatur? Minime vero. Si aversio fit in aliquam personam, opus est hanc personam aliquid in se ferre, quo animi aliquo modo moveantur. Ubi res ita se non habet, non delectamur per apostropham, sed offendimur; t a l i s a p o s t r o p h a n o n e s t s u o l o c o, d e l a p s a a v e r a c o n d i c i o n e n i h i l e s t n i s i f u c u s aut, ut dicit K o e n e l. c. p. 31: Flitterstaat, der bittere Armut verbirgt.

Si illa exempla, quae adhuc hac paragrapho attuli, vituperatione digna et improbanda sunt, paene ridiculum videtur, cum sermo vertitur ad r e s q u a s d a m i n a n i m a s v e l a b s t r a c t a tali loco, qui omni interiore vi caret. An iudicabis aliter de

apostropha, quam legimus Georg. I 215: *tum te quoque, medica, putres accipiunt sulci?* Ovidius similiter inepte convertit narrationem: Fast. I 390 ad *Haemum*, II 392 ad *Circum Maximum*, III 90 ad *Hernicam terram*, IV 439 ad *hyacinthum et amarantum*, 462 ad *Hennam*, 499 ad *Zanclaeam Charybdim*, 502 ad *Atticam terram*, VI 722 ad *Algidam terram*; Art. amat. I 28 ad *Ascram*, III 170 ad *lanam*, 354 ad *tesseram*; Amor. II 16, 24 ad *curvam Maleam*; Met. XV 260 ad *saecula*; Heroid. X 100 ad *Cecropem terram*; Trist. I 10, 26 ad *Lampsacum*, 10, 18 ad *Imbriam terram*, III 8, 4 ad *Corinthum*; Ex Pont. I 3, 68 ad *Atticam terram*, II 2, 70 ad *Romam*. Ubique apostropha est tantum remedium, quo servatae sunt leges aliquae metricae.

E.

§ 17. Eum, qui omnia exempla tractata maiore diligentia curaque legerit, unum non effugerit, quod quale sit illustrabo aliquot exemplis. Velut Aeneid. X 429 sq. legimus: *Sternitur Arcadiae proles, sternuntur Etrusci, Et vos, o Grais imperdita corpora Teucri.* Supra (cf. p. 16) explicavi hanc apostropham ex poetae dolore; idem iudicasse videtur Heitkampius annotans [1]) illi versui hoc: *vos*] Die Teukrer stehen dem Herzen des Dichters näher als ihre Bundesgenossen.

Cui explicationi addam hoc: concedes minime sonare suaviter et pulchre, si tali loco, ubi multa nomina propria commemorantur, eadem forma lentae enumerationis continuatur. Quid autem? In illo exemplo nonne variatur aut mutatur sermo optime simul per enallagen casus? Idem habemus permultis aliis locis et Vergilianis et Ovidianis, quos omnes enumerare longum ac supervacaneum mihi videtur (confer exempli causa Georg. II 170; Met. X 69, XII 393; Art. amat. III 458; quibus addendi sunt loci quos tractavi parte proxima (D) huius dissertationis, velut Aen. III 118 sq. [2]), VI 249 sqq.; Met. IV 753 sqq., X 41 sq.). Quodsi

1) Cf. Bibliotheca Gothana: P. Vergili Maronis Aeneis, Text u. Kommentar von O. Brosin und L. Heitkamp, II. Abteil.: Kommentar, Gotha 1890.

2) Gellius videtur mihi quidem hunc locum omnino ex hac ratione variationis intellexisse. Is enim Noct. Attic. XIII 27 postquam verba fecit

illa res his locis fortasse casu ac temere accidit, saepius fundamentum apostrophae ea fuisse mihi quidem videtur. Aen. VI 841 sqq. legimus: *Quis te magne Cato, tacitum aut te, Cosse, relinquat? Quis Gracchi genus aut geminos, duo fulmina belli, Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem Fabricium vel te sulco, Serrane, serentem? Quo fessum rapitis, Fabii? tum Maximus ille es, Unus qui nobis cunctando restitues rem?* Si quis has apostrophas explicet ex animo Aeneae veneratione perfuso, id non probem; minime enim mihi persuadere possum poetam Catonem, Cossum, Serranum, Fabios habuisse digniores, quibus Aeneas in affectum incideret, quam Gracchos, Scipiadas, Fabricium. Probabilius ille iudicet qui in figura explicanda a metrica ratione proficiscatur: omnium tamen verisimillimum puto his locis apostropham propterea adscitam esse, ut lenta virorum insignium enumeratio variaretur. Similiter dico de apostrophis, quae inveniuntur Georg. II 95 et 101. Non dubium enim mihi videtur, quin poeta, si in animo habuisset per illas aversiones significare, quae vina ipsi praecipue fuissent iucunda atque rara, usurpaturus fuerit figuram in versu, ubi praedicantur *rex ipse Phanaeus* et *argitis minor, cui non certaverit ulla.* Metricae difficultates ne hoc quidem loco tales sunt, ut poetam propter illas ad hanc figuram adsciscendam coactus esse videatur; immo ut supra, hic quoque evitata est per enallagen casus eadem forma orationis continuatae. Eiusdem generis exempla extant Aen. X 185 sq., Met. II 723, VI 115, X 99, Art. amat. II 589, Amor. III 6, 31 sqq., Fast. III 721, IV 43.

Ut paragrapho sexta decima apostropham saepius abisse in figuram mere grammaticam, qua non sensus, sed tantum forma eloquendi metri gratia mutabatur, cognovimus, sic locis, quos modo tractavimus, enallage casus vel personae videtur similiter facta esse tantum narrationis variandae causa affectu nullo accedente, ita ut hic quoque figura nihil sit nisi fucus ac ferrumen.

§ 18. Priusquam huius partis finem faciam, nonnulla addam de locis, ubi plures apostrophae continuantur. — Atque vix est

de versu Partheni, quem Vergilius aemulatus est, pergit sic: *Sed illi Homerico non sane re parem neque similem fecit* (Vergilius): *esse enim videtur Homeri simplicior et sincerior, Vergilii autem νεωτερικώτερος et quodam quasi ferrumine immisso fucatior: Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι. Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.*

quod adiciatur eius modi exemplis, quae leguntur Aen. VI 841 sqq., Georg. II 95 sqq.; Amor. III 6, 31, 35; Fast. III 721; IV 43 sqq. (cf. p. 39), ubi variationis causa plures apostrophas adhibitas esse consentaneum est. Neque haerebis in huiusmodi locis, quales sunt Aen. X 789, 791 aut Met. XIII 518 sqq.: hic enim non solum 'annosam senectutem', sed etiam 'crudeles deos', illic praeter 'Mezentium' 'Lausum' quoque compellatum esse explicatur eo, quod idem motus animi, quo poeta raptus est Mezentio commemorato vel annosa senectute, subiit eum Lauso et crudelibus deis allatis. Similiter res se habet Fast. I 413; III 56; V 103; Met. VII 400; Trist. IV 3, 78; Amor. III 9, 63; Remed. 263; Heroid. X 113; Art. amat. III 252 sq. — Diversae rationes, et interiores et metricae, fuerunt afferendae in apostrophis explicandis, quae leguntur Art. amat. III 251 sqq. (cf. p. 18, 25, 29). — Ex eadem metrica causa fit, ut Tantalus invocetur Met. IV 458 atque Sisyphus in versu 460, cum diversis metricis difficultatibus procreentur apostrophae, quas legimus Trist. II 399 et 400 et Ex Ponto IV 10, 51 et 52. — Notabiles sunt versus, qui extant Fast. IV 499 sq.: *Effugit et Syrtes et te, Zanclaea Charybdis, Et vos, Nisaei, naufraga monstra canes.* Ad 'Zanclaeam Charybdim' sermo vertitur, ut supra (p. 38) dixi, metri gratia; cur vero, quaeso, compellantur 'Nisaei canes'? Neque affectus neque metricae difficultates neque variandi studium possunt esse huius apostrophae causae. Hic videtur mihi figura aliter intellegi non posse quam ex a c c o m m o d a t i o n e quadam; poeta perseveravit in genere scribendi, ad quod nomine metro iniquo Charybdis Zanclaeae coactus erat.

F.

§ 19. Exemplis variis illustratis restat, ut paucis comprehendatur, quid ex secundo dissertationis capite didicerimus. Ac primum quidem exempla docuerunt h u n c e s s e l o c u m i l l i u s a p o s t r o p h a e s p e c i e i, q u a e e x a f f e c t u a l i q u o p r o f l u i t; sic intellegitur bene aversio, sic simul per figuram delectamur. Apparet igitur h a n c a p o s t r o p h a m ponendam esse i n t e r f i g u r a s v e r b o r u m r h e t o r i c a s, *quae non tantum in ratione positae sunt loquendi, sed ipsis sensibus cum gratiam tum etiam vires accommodant.* — Porro cognovimus per illam enallagen casus vel personae haud raro simul effectum esse hoc, ut e v i t a r e n t u r a u t l e v a r e n t u r m e t r i c a e d i f f i c u l t a t e s v e l

l e n t a e e n u m e r a t i o n e s o p t i m e v a r i a r e n t u r. Haec vero c o m m o d a, quae saepius sine dubio acciderunt temere ac casu poetis insciis, semper autem nullo modo eos effugere potuerunt, figurae fuerunt summo i n c o m m o d o. Invenimus enim exempla, ubi apostropha tantum illorum commodorum gratia adscita erat affectu aliquo non extante, u b i d e l a p s a e s t a d f i g u r a s m e r e g r a m m a t i c a s. Tales apostrophae autem erant nobis improbandae et vituperandae, cum aversio in personam aliquam vel bestiam vel rem iusto iure adhiberi possit solum tali loco, ubi aliquo modo commovemur.

Quod attinet ad numerum apostropharum adhibitarum, sequitur ex exemplis allatis primum quidem O v i d i u m o m n i n o f u i s s e u b e r i o r e m i n f i g u r a e u s u V e r g i l i o, tum vero c a r m i n a s i n g u l a u t r i u s q u e p o e t a e i n t e r s e d i s c r e p a r e, quod optime intelleges ex hac enumeratione: apud V e r g i l i u m inveni apostropham et in Aeneide et in Georgicis circiter centesimo octogesimo quoque versu, in Eclogis circiter sexagesimo quoque versu, apud O v i d i u m in Metamorphosibus circiter centesimo vicesimo quoque versu, Fastis circiter quinquagesimo, Art. amat. circiter sexagesimo, Trist. circiter centesimo quadragesimo, Amor. circiter centesimo vicesimo secundo, Remed. circ. duodesexagesimo, Heroid. circiter ducentesimo tricesimo, Epist. ex P. circiter ducentesimo quinto decimo, Ibide circiter ducentesimo quarto decimo quoque versu, Medic. fac. fem. nullo loco. Sed omnia haec discrimina intellegi possunt ex eis, quae de ratione et vi figurae exposuimus. Cum apostropham recte adscitam ab affectu aliquo pendere opus sit, primum quidem respicienda est natura poetae ipsius, num facile commoveatur, num animum excitatum cohibere possit. Quodsi in carminibus Ovidianis maiorem numerum talium apostropharum invenimus, quas ex affectu poetae profluxisse verisimile est (cf. exempla partibus A et B tractata; respicienda sunt illa quoque, ubi apostrophae per quasdam personas a poeta loquentes inductas fiunt, cum pleraeque earum sint eius modi, ut simul ex poetae ipsius animo profectae esse videantur), sequitur Ovidium scripsisse videri magis cum fervido animo et incitato quam Vergilium. — Porro apparet summi momenti in apostrophae usu esse g e n u s c a r m i n u m, num versentur in gravibus factis describendis, in multis nominibus propriis commemorandis, unde is, qui narrat, aliquo modo, sive veneratione sive admiratione sive

amore sive misericordia sive luctu sive odio similibusque affectibus inflammari possit. Inde est luce clarius Metamorphoses, Fastos, Artem amat., Remed. amor. multo aptiora fuisse figurae quam Medicamina fac. fem. Tum vero concedent omnes talibus carminibus velut Heroidibus aut Epistulis ex Ponto, quae ad certas quasdam personas missae simulantur, aversionem ab his personis ad aliam personam aut rem factam non idoneam fuisse eodem modo atque carminibus epicis. Denique vix miraberis, quod idem poeta, cuius maior numerus apostropharum recte adhibitarum proprius est, crebrius figura abusus est, quoniam magis ea assueverat. Excusatur etiam paulum aut elevatur audacia Ovidi, cum deliberamus eam factam esse haud raro bono consilio, ut versus per meros dactylos liquide profluentes crearentur; Ovidium autem multo maiore studio appetivisse levitatem versuum Vergilio, qui formas graves spondiacas, quas lingua Latina ei praebebat, haudquaquam summa cum diligentia evitabat, inter omnes constat[1]).

Ex his modo dictis autem optime intelleguntur omnia discrimina, quae cognovimus in apostrophae usu inter Ovidium ac Vergilium et inter singula carmina utriusque.

CAPUT III.

§ 20. Quoniam de Vergiliano et Ovidiano apostrophae usu satis diximus[2]), accingamus nos ad tertium caput tractandum, quo modo reliquorum poetarum Romanorum clarissimi, praecipue dactylicorum, usurpaverint illam apostropham, qua in re me ad illustrandum Romanorum usum nonnulla quoque allaturum esse ex Graecis supra promisi. — Figuram iam antiquissimis temporibus Graecae poesis extitisse Homericis apostrophis demonstratur. Cum vero qua ratione permotus ille poeta figuram adhibuerit commentatores inter se dissentire supra audiverimus,

1) De hac re confer, quod dixerunt Drobisch (Sächs. Gesellsch. d. Wissensch. Phil.-histor. Klasse 1866 p. 75 sqq.: Ein statistischer Versuch über die Formen des lat. Hexameter) et Hultgren (Neue Jhrb. f. Phil. 107, 1873, p. 745 sqq.: Die Technik der röm. Dichter im epischen und elegischen Versmass).

2) Nonnulla, quae ad horum poetarum apostrophas pertinent, huic dissertationis parti melius inserenda esse putavi.

liceat mihi paucis explicare, quid mea quidem sententia de Homerico apostrophae usu iudicandum sit. Exempla, quae extant Od. ξ 55, 165, 360, 442, 507; ο 325; π 60, 135, 464; ϱ 272, 311, 380, 512, 579[1]); Il. *Π* 20, 584, 692, 744, 754, 787, 812, 843[2]); *Δ* 127, 146; *H* 104; *N* 603; *P* 679, 702; *Ψ* 600[3]); *O* 365[4]); *O* 582[5]), *Y* 2[6]), intelleguntur optime ex animo poetae affectibus quibusdam perfuso, quamquam enallagen casus saepius metro simul aptissimam fuisse non nego. Uno loco res aliter se habet: Il. *Y* 151 sq. enim legitur:

Οἱ δ' ἑτέρωσε καθῖζον ἐπ' ὀφρύσι Καλλικολώνης
Ἀμφὶ σέ, ἤιε Φοῖβε, καὶ Ἄρηα πτολίπορθον.

Ex eadem ratione, quam habuimus in exemplis paragrapho sexta decima tractatis, haec apostropha ex metro cogente explicanda est, unde sequatur iam in Homeri carminibus figuram delapsam esse a sua condicione.

§ 21. Pergamus nunc ad initia poesis Romanorum. In Livi Andronici Odisia et in Cn. Naevi Bello Punico nullum exemplum inveni; ex Enni Annalibus unum locum afferre possum, qui legitur in versu 109[7]), ubi aversio fit ex admiratione poetae in Titum Tatium mortuum[8]). Apud Lucilium figura videtur extare in versu, quem habemus I 54[9]):

occidunt, Lupe, saperdae te et iura siluri;

quae verba dicta sunt fortasse ex animo excitato *dei alicuius, qui Lupum videat animam efflantem mortes multas enumerans, quas mortales oppetant*[10]). — Putet fortasse quispiam ex hoc exiguo

1) Ubique vertitur narratio in Eumaeum.
2) „ „ „ „ Patroclum.
3) „ „ „ „ Menelaum.
4) „ „ „ „ Phoebum.
5) „ „ „ „ Menalippum.
6) „ „ „ „ Achillem.
7) Cf. Ennianae Poesis Reliquiae rec. Iohannes Vahlen, Lips. 1903.
8) Cf. Q. Ennio, I Frammenti Degli Annali Editi E Illustrati Da Luigi Valmaggi, Torino 1900, ubi legimus p. 29 ad versum 53 (109) additum: *e il Pascoli vi scorge un' apostrofe del poeta stesso al defunto, col passagio alla seconda persona come frequentissimamente in Omero ...*
9) Cf. C. Lucilii Carminum Reliquiae rec. Frid. Marx, Vol. prius (Lips. 1904).
10) Cf. C. Lucilii Carminum Reliquiae rec. Frid. Marx, Vol. poster. Commentarii (Lips. 1905) p. 28.

apostropharum numero illos poetas studuisse, ut is, qui narrabat, suum animum cohiberet neve suos affectus narrationi interponeret. Sed noli oblivisci, quod ex carminibus allatis extant tantum paucae reliquiae, ex quibus de universo usu apostrophae in eis facto iudicari non potest, quoniam casu accidere potuisse, ut reliquiae figura illa careant, nemo negabit. Accedit alia res minime neglegenda: constat enim inter omnes poetis Romanorum usque ad Lucretium[1]) fuisse illam dicendi rationem, de qua Cicero: *ita enim,* inquit, *loquebamur: qui est omnibu' princeps, non „omnibus princeps" et vita illa dignu' locoque, non „dignus"* (Orator 161). Quo modo haec res et apostrophae usus inter se coniuncta sint, liceat mihi exemplis illustrare. Lege quaeso Ennianum versum 28 (secundum Vahlen. edit.): *Cum saevo obsidio magnus Titanus premebat,* aut ex Lucili carminibus versus I 19 sqq. (sec. edit. Marx.): *ut Nemo sit nostrum quin aut pater optimus divum, aut Neptunus pater, Liber Saturnus pater Mars Ianus Quirinus pater siet ac dicatur ad unum.* Quibus in angustiis metricis versati essent posteriorum temporum poetae! Eos his in versibus ex mere metrica ratione se confugisse ad apostropham pro certo statuam. Poetae veteres igitur habebant in illa re optimum remedium, quo arcebantur, ne apostropha abuterentur.

§ 22. Lucretius, quem eandem rationem dicendi habuisse supra audivimus, in 'de rerum natura' libris sex adhibet apostropham semel in tertii libri initio, ac quidem sine dubio ex veneratione et admiratione, quam habet in Epicurum, *decus Graiae gentis.* Quod vero hic poeta tam parcus invenitur in figurae usu, hoc intellegent omnes, qui legerunt carmen, quod illi aversioni minime aptissimum fuisse apparet. — Crebrior fuit in figura aequalis Lucreti Catullus; primum quidem inveniuntur nonnulli loci, ubi extant apostrophae, quas ex affectibus quibusdam profluxisse in aperto est; quos legimus[2]): 3, 13; 63, 9; 65, 9 sqq.; 66, 21 sqq.; 89; 78ᵇ, 2 sq. Accedunt talia exempla, quae ex eadem interiore ratione explicanda esse videntur, ubi vero figura simul metro aliquo modo apta fuit; quae habes: 4, 13[3]), 26;

1) Confer, quod addit Lachmannus Lucretii commentarii p. 28 sq.

2) Citavi ex: Catulli Veronensis liber. Rec. Aemil. Baehrens. Nova Editio a K. P. Schulze cur., Lips. 1893.

3) Baehrens in commentario huic apostrophae addit: ... *Hic maiori πάθει inde locus, quod iam phasellus se convertit ad patriam ut olim sic*

35, 16 sq.; 64, 69, 253, 299; 66, 71; 68ᵇ, 65 (105); 100, 5. Sed hic quoque nullum locum inveni, ubi apostropha careat omni interiore vi, ubi delapsa sit a suo loco.

§ 23. Transeamus nunc in aetatem quam vocant Augusteam, ubi perlustravi ab illa parte poetas, qui praeter Vergilium et Ovidium quasi sidera poesis Latinae elucent, Horatium, Tibullum, Propertium. Horatius et Tibullus in apostrophis adhibendis fere eidem sunt. Uterque enim praebet talia exempla, ubi figura sine dubio ab affectu pendet; quae leguntur apud Horatium[1]): Carm. I 18, 6; Sat. I 1, 38 sqq.; 2, 81; 10, 42; II 6, 5; 60; apud Tibullum[2]): I, 1, 15; 19; 4, 59 sq.; 6, 1 sqq.; 7, 23 sqq.; II 3, 27; 3, 61 sq.; 4, 39 sq.; 5, 105 sq.; 6, 15 sq.; 53 sq.; III 6, 39 sq. — Porro inveniuntur loci, quibus apostropha ex eadem interiore ratione optime intellegitur, simul vero metricae aliquae difficultates per eam superatae sunt; qui extant in Horati carminibus: Carm. I 18, 11; III 3, 13; 6, 2; IV 4, 37; Sat. I 5, 24[3]); 6, 24; 6, 107 sqq.; II 3, 123 sq.; 6, 20; Epod. II 21 sq.; Art. Poet. 103 sq.; in Tibulli: I 1, 53; 2, 7 sq.; 3, 23; 6, 55; 7, 7; 43; II 1, 55; 5, 39; 48; 52; 65; III 6, 29; 53 sq. — Tum vero habet uterque poeta apostropham, quae ex mere metrica ratione profluxisse mihi quidem videtur. Sic enim scripsit Horatius in versu, qui est Epod. IX 11: *posteri negabitis* pro *posteri negabunt;* multo audacior vero est aversio, quam legimus apud Pseudo-Tibullum III 3, 14: *Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis, Taenare sive tuis, sive Caryste tuis; Taenari* et *Carysti* a pentametro scilicet abhorrent. Etiam Tibullum ipsum discessisse a vera apostrophae natura mihi quidem constat; lege quaeso versus, qui sunt I 7, 9 sqq., et assentieris mihi dicenti in versu tertio decimo figuram illam factam esse tantum,

nunc quoque raram dilectamque, quam tamquam testem generosae stirpis praestantiaeque invocet.

1) Attuli locos ex editione Kiesslingi (Oden u. Epod., Berl. 1898; Sat. 1895).

2) Confer editionem quam fecit Lucianus Muellerus Lips. 1905.

3) Kiesslingius huic versui addit: „... dort, wo die von Süden kommenden Reisenden die Strasse verliessen, gab es natürlich cauponae, in denen unsere Gesellschaft, nachdem sie sich an dem 24 Stunden entbehrten frischen Quellwasser gelabt — dem Dank dafür gibt die Apostrophe an die Göttin Ausdruck — ..."

ut lenta enumeratio fluminum variaretur affectu aliquo non extante. Similiter iudico de tribus locis Horatianis, quos legimus Carm. I 12, 22sqq.; II 13, 26sq., Sat. I, 10, 85sq., quamquam his locis enallagen casus vel personae simul metro aptissimam fuisse concedo.

Exemplis horum poetarum variis illustratis accedamus ad Properti usum figurae percensendum. Hic quoque primum quidem afferre possum locos eius modi, quibus apostropham ex affectu profluxisse apparet; qui leguntur[1]): I 18, 19sq; 22, 6; II 2, 4; 10, 15; 13, 56; 16, 4; 20, 29; 22, 20; 25, 9; 27, 1; 30, 16; 33, 7sqq.; III 1, 15; 3, 3; 7, 1sqq., 11sq., 26, 67sq., 71; 11, 37sq., 51; 14, 1, 34; 15, 19; 19, 24; IV 1, 39; 2, 49; 4, 86, 92; 6, 76; 10, 10; 11, 51, 63sq. — His locis asserendi sunt tales, ubi ad interiorem rationem accedit, quod eandem per figuram simul leges aliquae metricae servatae sunt; quos invenis: II 3, 34; 37 (cf. Ovid. Art. amat. III, 253); 6, 19sq.; 8, 13sq., 25; 14, 25; 25, 4; 32, 28; 33, 29sq.; 34, 9sq.; III 3, 5; 7, 13sqq.; 11, 36; 13, 55sqq. (cf. p. 28sq.); 22, 30; IV 1, 15; 2, 61; 4, 18; 10, 5; 11, 37, 55. — Exempla quae leguntur I 3, 22; III 13, 10; IV 1, 48; 7, 86; 11, 40 ponam in numero eorum, de quibus supra (p. 35) Weisio assentientes iudicavimus; fortasse his quoque apostrophis subest affectus quidam, veri autem similius videtur eas adscitas esse tantum formae eloquendi gratia ex mere metrica ratione. Profecto habet se res ita loco qui extat III 9, 43sq.: *Inter Callimachi sat erit placuisse libellos Et cecinisse modis, Dore poeta, tuis.* Nihil enim est, cur Propertius Dorum poetam, h. e. Philetam[2]) maiore honore affecerit quam Callimachum; quantis in angustiis autem poeta versatus sit genetivo *poetae,* qui ab hoc versu omnino abhorret, nemo nescit. Similiter iudicandi sunt loci II 25, 12; 26, 37; III 3, 30; 5, 16; 12, 26; 21, 26, 28; 22, 23. Denique Propertius non veretur ex mere metrica ratione adhibere tales apostrophas, quas supra ineptas et ridiculas significavimus, quibus verbis specto ad III 5, 6; 11 68; 15, 42; IV 5, 74; 9, 2; ubi sermo vertitur ad Corinthum, Bosporum, Aracynthum, caprificum, Erytheam. — Locis supra allatis saepius velut II 25, 12; 26, 37; III 3 30; 12, 26; 22, 23 efficitur per apostropham simul illa

---

1) Locos attuli ex editione, quam fecit Max Rothstein, Berol. 1898.
2) Confer, quod addit huic versui Rothstein.

iucunda enarrationis lentae variatio. II 26, 9sq. vero, ubi legitur: *Quae tum ego Neptuno, quae tum cum Castore fratri, Quaeque tibi excepi, iam dea, Leucothoe,* et III 1, 31sq., ubi enumeratio eorum, quorum *maius ab exequiis nomen in ora venit* (v. 24), interrumpitur per aversionem: *Exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu, Troia, bis Oetaei, numina capta dei,* denique III 19, 21, quo in versu, postquam de Pasiphae, Tyro, Myrrha, Medea, Clytaemestra ut de tertiis personis poeta locutus est, subito in medio narrationis tenore fit aversio in Scyllam, videntur mihi quidem apostrophae tantum variationis gratia sine ullo affectu ortae esse. — Ut nullum locum omittamus, quo Propertius figuram adhibuit, restat, ut verba faciamus de versibus, qui extant IV 11, 37sq.: *Testor maiorum cineres tibi, Roma, colendos, Sub quorum titulis, Africa, tonsa iaces.* Aversio in Romam facta perbene explicabis ex veneratione, quam Cornelia in patriam habet; quid vero vult figura altero loco? Si quis dicat Corneliam superbia commotam, quod maiores Africam superavissent, interposuisse versui irrisionem in hanc terram, haec sententia mihi probari non possit. Equidem censeo hanc apostropham effectam esse ex accommodatione quadam, ut in illo Ovidiano exemplo diximus (cf. p. 40): Cornelia, quae modo ex affectu sermonem vertit ad Romam, perseverat in eadem ratione dicendi, quae huic versui idonea non est.

Propertius apostropham adhibuit fere in quinquagesimo quoque versu, quem tantum numerum adhuc invenimus solum in Fastis Ovidianis; non multum cedit in hac re Propertio Tibullus praebens figuram circiter sexagesimo quoque versu. Cum vero pleraeque apostropharum ex horum poetarum affectu aliquo explicari potuerint, confirmatur hoc modo optime, quod viri docti in libris, qui sunt de historia litterarum Romanorum, iudicaverint: illos poetas praeditos fuisse animis fervidis et incitatis et scripsisse summo cum ardore. Falsum sane est dicere in Horatio, quia invenitur multo parcior in apostrophae usu, fuisse animum minus alacrem et erectum. Noli enim oblivisci, quod saepius hac in dissertatione attuli, in apostropha permagni interesse, qualia sint carmina; omnes vero concedent poemata Horati plerumque aversioni simili modo iniqua fuisse atque Ovidi Heroidas, Epistulas ex Ponto, Medicamina fac. fem. vel carmina Catulli, Lucreti, Lucili. — Denique hac paragrapho cognovimus Propertium non veritum esse similiter atque Ovidium

apostropha audacissime abuti, cum Tibullus et Horatius, quamquam hi quoque non numquam a figurae vera condicione discesserunt, tamen multo cautiores hac in re fuerint.

§ 24. Quoniam diximus de poetarum capitibus ab initio poesis Romanae usque ad tempora Augustea, nonnulla addam ex posteriore aetate, ubi percensui epica carmina Lucani, Sili Italici, Valeri Flacci, Papini Stati. Cum vero horum exempla accurate explicare longum sit, liceat mihi ea idoneo ordine simpliciter enumerare. — Primum quidem quattuor illi poetae praebent magnum numerum talium apostropharum, quas ex affectu aliquo profluxisse nemo contendet; qui loci inveniuntur in M. Annaei Lucani De Bello Civili libris decem[1]): I 45 sqq.; 84 sq.; 113 sq.; 121 sqq.; 226; 251; 330 sqq.; 519 sq.; 649; 660; II 56; 72; 230; 472; 567 sq.; III 121; 159; IV 110 sq.; 182 sqq.; 189 sqq.; 233; 254; 497; 500; 580; 692; 799 sqq.; V 174; 198 sqq.; 473; 665 sq.; 728; 805; VI 196; 302; VII 23; 91; 110; 168 sq.; 646; 721; 847 sqq.; VIII 42; 454; 521; 608; 692 sqq.; 827 sq.; 835 sq.; IX 69 sq; 75; 98; 242; 602; 980 sq.; 1099 sqq.; X 6 sq.; 282 sqq.; 524; in Sili Ialici Punicis[2]): I 45[3]); 119; 666; II 456; 570; 633; IV 505 sqq.; V 475 sq.; 589 sqq.; VI 87; 340; 344; VII 95; 162; 204; 557; 563; VIII 666; 674; IX 162 sq.; 424; X 234; 432 sqq.; 521 sq.; 527; 547; 658; XI 530 sq.; 574; 597; XII 286 sqq.; 497; XIII 136; 796 sq.; 823; XIV 455 sq.; 511; XVII 200; 608; 611; in C. Valeri Flacci Setini Balbi Argonauticon libris octo, quos edidit P. Langen, Berol. 1896: I 76 sq.; 215; 291 (ad hunc locum confer Aeneid. IV 408); 405 (385); 477 sqq.; 546; 648; 824; II 79 sq.; 242 sqq.; 302; III 177 sq.; IV 121 sq.; V 44; 142; 644; VI 317 sqq. (cf. Apoll. Rhod.[4]) Argonaut. IV 1485 sqq.); 346; VIII 70; 174; 270 sq.; 350; in Publi Papini Stati Thebaidos libris duodecim[5]): I 239 sq.; 582; 597; 625; II 265 sq ; 382; 461 (cf. Aeneid. XI 873 sq.); 489;

1) Confer editionem quam fecit Carolus Hosius, Lips. 1905.

2) Franke, qui commentationis, quam supra dixi, p. 35 sqq. de apostrophis Sili Italici verba fecit, reprehendendus est primum, quod apostrophae, quae sunt generis figurarum verborum, confunduntur cum eis, quae sunt figurarum sententiarum, deinde vero, quod collectio eius non est plena.

3) Confer editionem quam fecit Ludovicus Bauer, Lips. 1890/92.

4) De hoc poeta postea nonnulla addam.

5) Editione quam fecit G. Queck (Lips. 1854) in tali re uti non veritus sum.

575 sq.; 616; 629; 704; III 99; 380; 438 sq.; 451; 513; 607; IV 236 sq.; 246 sqq.; V 155; 534 sqq.; 627; 712; 744; VI 491 sq.; 513 sqq.; 689 sq.; VII 20; 586; 683 sqq.; 649; VIII 162; 171; IX 22; X 650 sqq.; XI 40; 605 sqq.; XII 594.

Accedunt exempla eius modi, ubi fundamentum apostrophae affectus videtur esse, simul autem figura apta fuit metro aliquo modo, ut supra cognovimus; quae inveniuntur apud Lucanum: I 21; 107; II 4; 119 sqq.; 126; 302 sq.; 545; 550; 555; 575; 699; 725; V 58; 77; 187 sq.; 225; 310; 726; VI 249; 304; 326; 388 sqq.; 787; 791 sq.; VII 213; 418 sq.; 470 sq.; 535 sqq.; 551; 556; 585; 587; 675; 681 sqq.; 726; VIII 251 sq.; 550 sqq.; 600; 676 sq.; IX 42 sq.; 157; 815 sq.; 837 sq.; 1045; 1070 sq.; 1076; X 70 sq.; 77; 348; 413; 448; apud Silium Italicum: I 541 sqq.; II 142; 191; 304; 366; 409; 569; 636; III 607; IV 167; 201; 235; 809 sqq.; V 16; 261; VI 62 sq.; 82 sq.; 108; 310 sq.; 342; 410; 483; 518; 549; 640; 682; VII 187; 199 sqq.; 538; VIII 310; 478; IX 111; 117; 346; 655; X 209; XI 304 sq.; 526; XII 364; XIII 866; XIV 676; XV 396; 443; 451 sqq.; XVI 92; XVII 496; apud Valerium Flaccum: I 188 sq.; 398; 433 sqq.; 456 sqq.; 649; III 116; 173; IV 106 sq.; VI 55; 103; 219 sq.; 297; 605 sq.; VII 1 sq.; 589; VIII 142; 181 sq.; 251; 275; 312 sqq.; apud Statium: Achill. I 622 sq.; Theb. I 22 sq.; 155; 165; 178 sq.; 223; 398; 430; II 72; 294; 371 sq.; III 573; 638; IV 457; 515; V 70; 220 sq.; 501; VI 699; VII 355; 695; VIII 367; 741; IX 4 sq.; 63; 744; X 445 sq.; 498 sqq.; XII 810 sqq.

Porro non desunt illi dubii loci, quibus apostropha videatur potius ex metrica aliqua ratione quam interiore profluxisse. Ita iudico de versibus, qui sunt: Luc. I 430; 438; III 205; VII 217 sqq.; X 427; 464; Sili Ital. I 547; IV 703; V 490 (cf. Metamorph. V 575); VIII 364; 665; XII 525; XIV 223; 226; XVII 494/95; Val. III 480; IV 346; V 102; VI 688; VII 84; Stat. Achill. I 628; Thebaid. III 171; 211; IV 239; 289; 293; V 532; VI 327/28; VII 424. — Profecto pendent a metro hi loci: Luc. I 30; III 281; VI 363; Sil. Ital. I 52; III 361; IV 182 sq.; 533; XIII 432; XIV 295; Valer. I 391 (399) sqq.[1]); III 35; VI

1) His versibus, qui sunt *Tu quoque Phrixeos remo, Poeantie, Colchos, Bis Lemnon visure petis, nunc cuspide patris Inclitus, Herculeas olim moture sagittas*, addit P. Langen: *mox variatur inter nominativum* '*in-*

719; Stat. Thebaid. II 474; III 417; V 582; VIII 589; IX 767; XII 562; 623.

Atque illae apostrophae ineptae et ridiculae, quibus ex metrica ratione sermo vertitur ad res quasdam inanimas vel abstracta talibus locis, qui omni vi peculiari carent, inveniuntur in versibus, quos legis: Luc. II 623; IX 854; 874; X 545; Sil. Ital. IV 826; V 581; VI 298; Valer. I 371; V 80; 106 (cf. Propert. IV 9, 2); Stat. Achill. I 421; Thebaid. IV 371; VII 334; 345; VII 370; IX 347; 769; 818; XII 562; 623.

Eum qui omnia adhuc allata exempla consideraverit, non effugerit hic quoque saepius per apostropham simul lentas quasdam enumerationes evitatas esse; sed eodem modo, quem supra paraprapho septima decima cognovimus, figura haud raro delapsa est eo, ut tantum illius variationis gratia adscisceretur affectu aliquo non extante; ita iudicandi mihi quidem videntur loci, quos legimus: Luc. I 441 sqq. (447, 463); 655; III 247; V 598; 712; VII 231; 832; VIII 686; IX 727; Sil. Ital. I 413 sqq.; 234; III 287; V 543; VIII 422; 490; 517; 588; X 39 sq.; XIV 229; Valer. I 220; 380; 438 sqq. (441, 444); VI 130 sq.; Stat. Theb. VI 540 sq.; VII 282 sqq.; 340; IX 311 sq. — Ut omnia exempla afferamus, restat, ut nonnulla dicamus de tribus Lucani locis qui extant IX 538; 787 sq.; 854 sq.; IX 538 sq. legimus: *At tibi, quaecumque es Libyco gens igne dirempta, In noton umbra cadit, quae nobis exit in arcton*; IX 787 sq.: *Cinyphias inter pestes tibi palma nocendi est: Eripiunt omnes animam, tu sola cadaver.* His duobus locis mihi quidem constat apostropham hac de ratione adhibitam esse, ut ea dilucide et palam significarentur, quae ab reliquis diversa ac contraria essent. Tertio loco inveniuntur verba: *Nil, Africa, de te Nec de te, natura, queror.* Aversionem in Africam factam supra explicavi ex mere metrica ratione, quia ablativus *Africa* speciem cretici praebeat; ablativus *natura* autem nihil metricae offensionis habet, unde haec apostropha tantum ex accommodatione orta esse mihi videatur.

Vidimus igitur poetas posteriores apostropha usos esse ex omnibus illis variis rationibus, quas cognovimus apud Vergilium

---

clitus' et vocativum 'moture', cf. IV 467 sq. (*inclitus—dilecte*), *tum Livii qui non metro coactus erat*, I 24, 7 *'audi pater patrate populi Albani, audi tu, populus 'Albanus.'*

et Ovidium, ac quidem satis large: Lucanus enim praebuit figuram circiter quinquagesimo sexto quoque versu, Silius Italicus centesimo octavo quoque versu, Valerius Flaccus fere nonagesimo tertio quoque versu, Statius centensimo undecimo quoque versu.

§ 25. Iam vero intendite quaeso animos ad locum, qui legitur in Ricardi Heinzii libro qui est: Virgils epische Technik, p. 363 sq., „die objektive Haltung", inquit, „die man bei Homer fast ausnahmslos streng bewahrt sah, war auch in der älteren hellenistischen Zeit von der Epik, so viel ich sehe, bewusst festgehalten worden; es fällt in die Augen, wie völlig z. B. Theokrit, wo er erzählt, mit seiner Person zurücktritt, im Hylas, Heraklis-kos, Polydeukes und Kastor: selbst hier, im Hymnus, äussert sich die Teilnahme des Dichters nicht anders als durch seltene Anrede des Gefeierten; in den Erzählungen der kallimacheischen Hymnen steht es kaum anders; Apollonios tritt zwar in seiner Eigenschaft als Sänger gelegentlich hinter dem Vorhang hervor; eigene Urteile und Empfindungen auszusprechen, in denen er als Mensch zu menschlichen Vorgängen Stellung nähme, erlaubt er sich höchst selten (am weitesten geht er wohl IV 445 ff. in der Anrede an Eros: *σχέτλι' Ἔρως, μέγα πῆμα, μέγα στύγος ἀνθρώποισιν* u. s. f.). In den beiden Gedichten, die uns vom Stile der römischen Neoteriker und zugleich von gewissen Richtungen der gleichzeitigen und jüngstvergangenen griechischen Poesie allein eine Vorstellung geben können, Catulls Ariadne und der Ciris, ist das Verhältnis ein völlig anderes: da bedauert der Erzähler seine Heldin, entsetzt und betrübt sich bei der Vorstellung ihrer Leiden, wünscht, dass sie dies und jenes unterlassen hätte, sucht sie zu entschuldigen, kurz er trägt geflissentlich zur Schau, wie nahe ihm selbst die Geschichte geht, die er zu erzählen hat, und sorgt dafür, dass wir ihn selbst über der Geschichte nicht vergessen". In hac re iudicanda, quo modo enim poetae talibus versibus, quibus res aliquae narrantur, interposuerint suos animos, figuram, de qua tractavimus, non parvi momenti esse apparet. Perpaucis apostrophis, quae in Homeri carminibus inveniuntur, ubi poeta per eas *effert animi motus*[1]), ut illo Horatiano utar (cf. Art. Poet. 111),

---

1) In 26510 versibus — tot Odyssea et Ilias coniunctae efficiunt — explicari potuerunt triginta duae apostrophae ex poetae aliquo affectu.

sine dubio optime confirmatur, quod Heinzius de Homeri ratione dicendi iudicavit. Similiter consentit perbene, quod vir doctus de Apollonio Rhodio dixit, cum eo, quod in Argonauticis eius invenitur de illa figura. In huius carminis 5833 versibus enim leguntur tantum septem apostrophae [1]), quibus poeta ex affectu se interposuit narrationi. Reliquos Graecorum poetas perlustrare, quid praebeant de apostropha, tempus mihi defuit, quod valde doleo.

Vertamus nos igitur ad Romanos, quorum apostrophae usum cognovimus. In magnis heroicis carminibus Vergilius in illa aversione dicendus est parcissimus. Atqui inventae sunt in Aeneide quinquaginta tres apostrophae, quarum viginti una sine dubio profluxerunt ex affectu, cum viginti sex locis eadem interior ratio verisimillima videatur. Ex his quadraginta septem apostrophis fiunt septendecim per quasdam personas a poeta loquentes inductas; tricies vero Vergilius ipse rectum atque institutum narrationis ordinem illo modo mutavit suos ipsius affectus interponendi gratia. Si vero deliberabis Aeneidem constare tantum ex 9896 versibus atque hos numeros comparabis cum illis, quos cognovimus apud Homerum et Apollonium Rhodium, sine dubio assentieris mihi progredienti ultra id, quod Heinzius l. c. p. 364: „In der Aeneis", inquit, „strebt Vergil mit Bewusstsein die gleiche Objektivität (scil. Homeri et Apollonii) an; aber man meint zu merken, wie schwer es ihm wird, sie festzuhalten"; et postea: „Im wesentlichen aber drängt der Dichter (Vergilius) seine Empfindung konsequent zurück und hält sich nach Möglichkeit an die wenigen Ansätze zu subjektiven Aeusserungen, die ihm Homer darbot." Equidem censeo Vergilium, quantum ex illa apostropha iudicari potest, aliquanto magis suos affectus versibus interposuisse quam Homerum et Apollonium atque minime animum ita cohibuisse, ut Heinzius verbis supra allatis dicit.

Ex Argonauticis Valeri Flacci supra attuli quadraginta duo exempla, ubi apostropha ex affectu intellegi potuit; poeta ipse fecit aversionem illam tricies semel; de figurae usu P. Terenti Varronis Atacini, qui multo antea *Argonautas* vel *Argonautica* scripsit, nil certi dici potest, quoniam restat tantum exiguus numerus versuum: in his circiter viginti versibus autem, quos

1) I 1; II 708; IV 445 sq.; 1199 sq.; 1383; 1485; 1706.

attulit Alexander Riese in appendice M. Terenti Varronis Saturarum Menippearum reliquarum (Lips. 1865), videntur mihi tribus locis extare apostrophae tales, quae pendent a poetae quibusdam affectibus. Atqui verte oculos ad Graecos, ubi Apollonius Rhodius eandem materiam tractavit in fere eodem versuum numero ac Valerius Flaccus (etiam superat Valerium 230 versibus); in his Argonauticis vero invenimus apostropham ex poetae affectu adscitam tantum septies (cf. p. 52); h. e. igitur dicere: hic quoque constat Romanorum poetas in narratione multo magis *motus animi extulisse* quam Graecum.

Idem, quod de horum Romanorum poetarum ratione scribendi cognovimus, iudicandum erit de reliquis, quorum carmina hac in dissertatione attulimus: quantum ex eorum apostrophae usu concludendum est (de antiquissimis temporibus scilicet ex reliquiis nil certi dici potest), omnes, ubi narraverunt, minime hoc fecerunt *sine ira et studio,* ut illo Taciteo utar, sed occasione data semper studuerunt, ut suos ipsorum affectus narrationi interponerent. Qui Ovidi Fastos, Artem amat., Remed. amor. vel carmina Properti vel epicos versus Lucani legerit, concedet in his carminibus poetas in illa re etiam modum excessisse, atque non mirabitur, quod Iacobus Grimm in commentatione, quae est: Ueber den Personenwechsel in der Rede (Abhandlungen d. Königl. Akad. d. Wiss. Berl. 1856), postquam vituperavit, mea quidem sententia iniuria, nonnullas Vergilianas apostrophas, ita pergit: „Gleicher, wo nicht grösserer Missbrauch begegnet bei anderen lateinischen Dichtern, namentlich Lukan, der den Namen Rom fast nicht aussprechen kann, ohne sie zu duzen und anzureden: 1, 85; 1, 205; 6, 309; 7, 29; seine ewigen Gedanken sind Cäsar und Rom, auf die Länge wird diese Wiederkehr der Anrede unerträglich". Rectissime enim Quintilianus spectans ad figuras rhetoricas IX 3, 101: *Sed ne eae quidem,* inquit, *quae recte fiunt, densandae sunt nimis. Nam et vultus mutatio oculorumque coniectus multum in actu valet; sed si quis ducere os exquisitis modis et frontis ac luminum inconstantia trepidare non desinat: rideatur.*

Hac re perveni ad finem huius dissertationis; si vero aliquid attulisse censebor ad poetarum Romanorum scribendi rationem explorandam, magnopere laetabor.

VITA.

Natus sum Erwinus Hampel a. d. VI. Kal. April. anni 1886 Crotoschini patre Paulo, matre Ida e gente Anders orta, quos adhuc salvos esse valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus Costrini Marchicorum ibidem gymnasii discipulus sum factus anno 1895. Maturitatis testimonio instructus vere anni 1904 Ienam me contuli studiis philologicis historicisque operam navaturus. Duo ibi semestria commoratus transmigravi Berolinum, ubi per ter sex menses audivi viros illustrissimos Diels, Ed. Meyer, Kekulé von Stradonitz, Vahlen, v. Wilamowitz, Wentzel. Autumno anni 1906 Ienam ad studia mea absolvenda redii, cuius universitatis civis usque ad hoc tempus fui; qua in academia docuerunt me et scholis et exercitationibus viri doctissimi Cartellieri, Delbrueck, Eucken, Goetz, Hirzel, Iudeich, Liebmann, Liebenam, Mentz, Michels, Stoy. Quos omnes praeceptores pia grataque memoria me semper prosecuturum esse polliceor, praecipue autem Georgium Goetz, qui studiis meis benignissime favit.